B. N. C
FIRENZE
1059
5

Digitized by Google

Digitized by Google

1059.5

O R A T I O
DE USU RATIONIS
IN THEOLOGIA

Senis habita Anno MDCCXXVII.

A'

DOMINICO VALENTINI;

IN SENENSI UNIVERSITATE SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE,

Cum primùm delatum ſibi munus exequi publicè aggrederetur; & nonnullis annotationibus delibatis,

EDITA SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI, ET AMPLISSIMI VIRI

JO. BONAVENTURÆ
NERII BADIÆ

REGIÆ CELSITUDINIS MAGNI HETRURIÆ DUCIS A' CONSILIIS

S E N I S

Typis Regiæ Celſitudinis Sereniſs. Gubernatricis, apud Franciſcum Quinza, *Superiorum permiſſu.*

AD LECTOREM

NE me fortè credàs, omnem materiam, quæ prope infinita eſt, voluiſſe paucis, quas aſperſi, annotationibus exhaurire, id mihi ſcito potiſſimùm fuiſſe conſilium, ut, quæ apud doctiſſimos Viros preſsè, & anguſtè dicta erant, eorum gratia, qui ab hujuſmodi ſunt ſtudiis remoti aliquantò explicatiùs evolverentur, utque aliqui ex præcipuis Authoribus qui ea fusè, copiosèque pertractant, quique alios itidem Scriptores commemorant, indicarentur. Ceterùm quidquid in Oratione, quidquid in annotationibus dixi, quidquid à me in poſterùm, quoad vivam, vel verbis, vel Scriptura dicetur, id omne infallibili Apoſtolicæ Sedis judicio, ea, qua par eſt, humilitate, atque animi demiſſione ſubmitto.

ILLUSTRISSIME
DOMINE

NOn dubito, fore pleroſque, Illuſtriſſime Domine, qui minimè conſentaneum judicent, res Theologicas Viro publicis, operoſiſque muneribus occupato, atque univerſæ Juriſprudentiæ peritiſſimo offerri. Sed individua quædam ſocietas, qua Theologia, juriſque prudentia inter ſe colligantur, palàm demonſtrat, ſummum Juriſconſultum, qualem Te omnes ſuſpiciunt, ac venerantur, ſacræ

Digitized by Google

hujus Facultatis omnino expertem eſſe non poſſe. Nam primò quidem Divinæ Leges cum humanis mirabiliter ad fovendam inter Homines pacem, & tranquillitatem conſpirant, & juris humani æquitas, quæ planè tota ſanioris Philoſophiæ monitis nititur, tantùm inter Chriſtianos Romanarum Legum æquitati antecellit, quantùm ex Divina Chriſti Doctrina Philoſophorum præcepta perfectionis accipiunt,[1] & jusEccleſiaſticum, velut in confinio poſitum, arctiſſimo quodam vinculo, hinc cum Theologia, illinc cum jure civili conjungitur, & jus ipſum civile magnam per ſe cum excellentiſſima hac Diſciplina neceſſitudinem habet. Multa enim ex Judæorum inſtitutis, ac legibus, quæ Sacris Literis continentur, ad Phęnices, & Ægyptios, ab iiſque ad Græcos, Italoſque, in primiſque ad Hetruſcos traducta, ad Romanos hinc tranſierunt, multa etiam ad Res Divinas pertinentia in ipſis Romanorum Imperatorum legibus reperiuntur, veluti *de incorruptæ Trinitatis indiviſa ſubſtantia, quæ* Homouſia *rectè credentibus dicitur, de Fide Nicænà, de Eutychetis, ac Neſtorii doctrina, de ea, quæ in Chriſto ſecundùm Perſonam eſt unitas*. (2) Publica verò miniſteria á rebus theologicis non abhorrere, imò & ab iis non mediocriter adjuvari vel Daniel ipſe, primarius magnorum Regum (3) Miniſter, ſatis, ni fallor, oſtendit, quem ad graviſſima Regni negocia juſtè, ac prudenter adminiſtranda, magnum ex Rerum Divinarum, qua plurimùm præſtitit, cognitione, ſibi præſidium comparaſſe non dubitaverim.

Verùm

---

(1) Philoſophi tandiu videntur aliquid dicere, quandiu Chriſto comparantur. *Aug. in Pſ.* 140. *n.* 19.
(2) *Leg. nullus* 2. *& ſeqq. Cod. de Summa Trinit. & ſeqq. titulis.*
(3) *Babyloniæ, ac Perſarum Regem Danielem Regno præfeciſſe patet ex Daniel. II.* 48. *& VI.* 1.-2. *& ex Joſ. Antiquit. lib. X. cap.* 12. *& cap.* 13.

Digitized by Google

Verumtamen hæc, etſi vera eſſe cognoſcam, tamen ut ingenué fatear, minimè me impulerunt, ut brevem hunc Tibi de univerſa Theologia ſermonem dicarem, ſed hac unicé cauſa ad id faciendum adductus ſum, quòd maximis Tuis, atque immortalibus beneficiis ornatus nihil præterea rerum omnium habebam, quo Tibi me non ingratum, nec benefactorum immemorem probare poſſem. En igitur Tibi (quando majora dare non poſſum) ejus diſciplinæ, quam non multo ab hinc tempore inſtitui publicè profiteri, qualeſcumque primitias, exiguum ſanè munus, Tuiſque meritis impar, ſed omnibus Tibi nominibus debitum, & grati, obſervantiſſimique animi argumentum, ſincerique, ac perpetui teſſeram famulatus. Nec Te muneris nomen deterreat, *qui ambulas in juſtitiis, & loqueris veritatem, qui projicis avaritiam ex calumnia, & excutis manus Tuas ab omni munere;* (4) non enim hoc ex eorum genere munerum eſt, *quæ etiam excœcant prudentes, & ſubvertunt verba Juſtorum*, [5] nec de aliqua juris controverſia nunc judicare debes, unde timere poſſis, ne paululùm ab officii religione declines; ſed de ſumma animi mei erga Te obſervantia, quem Tibi ſemper addictum, deditum, obſtrictum habebis, deque perenni, quæ in me nullo tempore minuetur, acceptorum beneficiorum memoria.

(4) *Iſai. XXXIII. 15.*
(5) *Exod. XXIII. 8.*

Digitized by Google

FAlsò Catholicam Religionem calumniantur improbi quidam, infenſique ejus obtrectatores, qui, cum voluptatum illecebris, effrænatiſque cupiditatibus turpiter ſerviant, inque omni ſcelere, ac dedecore fędiſsimè volutentur, vera eſse nollent, quæ ab ipſa de Summo Deo ſolertiſsimo humanarum actionum ſpectatore, juſtiſsimoque flagitiorum vindice traduntur, atque inculcantur, falsò, inquam, Catholicam Religionem accuſant, quòd imperioſo, planèque tyrannico dominatu mentes hominum premens, ſua illis dogmata temerè, ac cęco impetu credenda nimis aſperè, nimis durè, nimis arroganter obtrudat. (1) Etenim qui incorruptè, atque integrè, animoque ab omni perturbatione libero rem judicare velit, fateri profectò cogetur, quæcumque ab Eccleſia Chriſtianis ſuis arctè tenenda, & libenter, ſtudiosèque amplectenda materna quadam benevolentia, ac lenitudine proponuntur, non fallacibus, captioſiſque argumentis, non vanis, futilibuſque opinionibus, non ſuperſtitioſis anicularum commentis initi, ſed ſumma, conſtanti, atque immutabili Ratione firmari, maximumque, præter cetera, momentum, ac pondus habere, iis ut animosè, & firmiter, & ſine ulla dubitatione aſsentiamur. Nam quę duo ſunt capita, ac veluti fontes, ut Auguſtinus animadvertit, (2) unde omnia diſciplinarum, ac ſcientiarum ſtudia hauriuntur, Ratio, & Authoritas, ab iiſdem planè Catholicæ Religionis veritas certò repetitur, atque hinc quantaquanta eſt Theologica Facultas omninò pendet, hinc alitur, hinc ſuſtinetur, hinc ſingulæ ejus propoſitiones, hinc omnia effata ducuntur, profluunt, atque dimanant. Quod tamen cum eo temperamento accipiatis velim, non ut Authoritas, quam omnes in Theologia dominari, principemque locum obtinere fatentur, ulla ex parte Rationis jura perturbet, ſed ut amicè mira quadam cum illa conſenſione conſpiret, omnemque ſuum dominatum Rationi, ut ità dicam, acceptum referre non dedignetur, eamque modò ut quemdam veluti præcurſorem, modò ut fidiſsimam ſociam, modò ut obſequentem pediſſequam, atque officioſam miniſtram adhibeat. Verùm, quò apertiùs, atque enodatiùs totum hoc, quidquid eſt, explanetur, ac penitùs perſpiciatur, conabor hodiè vobis oſtendere, Auditores Optimi, quàmbreviſsimè potero, & quoad tenues ingenii mei vires patientur, *Theologiam, ſive in cauſis exquirendis, quæ nos ad credendum impellunt, ſive in iis, quæ credere oportet, inveſtigandis, nunquam temerè, atque inconſultè procedere, ſemperque in omnibus ſuis partibus Rationem Ducem, atque Admonitorem ſectari*. Sed hoc primùm in hac re vobis prædico, ac denuncio, nentiquam in animo me habere ſingula particulatim expendere, quod profectò nimis longum eſset, ac propemodùm infinitum, vobis etiam fortaſse moleſtum, ſed generatim tantùm, atque universè ſumma quædam capita attingam, in quorum ſingulis aliqua rationum ſpecimina, quibus potiſsimùm probari poſsunt, curſim, obiterque proponam, unde quiſque ſibi exemplum capere poſsit, & cetera eòdem pertinentia ſingillatim percurrere, atque exquiſitiùs perveſtigare.

[1] Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos, reddere rationem de ea, quæ in vobis eſt, Fide, & Spe. *D. Petrus Epiſt. 1. cap. 3. apud D. Auguſtin. Epiſt. 137. ad Voluſian. n. 4. juxta edition. Benedictin. & apud D. Thom. 2. 2. quaſt. 2. art. 10. Quare Auguſtinus Epiſt. 120. ad Conſent. n. 2. & 3.* Abſit, *inquit*, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Abſit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, ſive quæramus, cum etiam credere non poſſemus, niſi rationales animas haberemus.

[2] Nulli dubium eſt, gemino pondere nos impelli ad diſcendum, Authoritatis, atque Rationis. *Lib. 3. contr: Academ. c. 20.*

Duplex eſt via, quam ſequimur, cum rerum nos obſcuritas movet, aut Rationem, aut certè Authoritatem. Lib. 2. de Ord. cap. 5.

PRincipiò igitur totius Religionis, ac Fidei Catholicæ fundamentum, ad quod planè omnia referuntur, atque unde omnia proficiſcuntur, quæcumque in diſciplinis Theologicis pertractantur, Divinæ ſcilicet *Exiſtentiæ* cognitio, à lumine Rationis unicè pendet, ſiquidem hac ſola Duce Deum eſse cognoſcimus, (3) hoc eſt præſtantiſsimam quamdam, æternamque Naturam, ab omni concretione mortali ſolutam, ac ſegregatam, nulli Naturæ ſubjectam, nulli obedientem, qua nulla major, nulla pulchrior, nulla perfectior poteſt excogitari, quæ Cœlum, Terramque, atque omnia, quæ iis continentur, ſine ullo labore produxit, cujuſque nutu, ac poteſtate omnia moventur, omnia reguntur, ordinemque ſempiternum conſervant. (4) Cum enim hunc Mundum videmus tanta varietate diſtinctum, & mira quadam concinnitate, atque elegantia ſapientiſſimè conſtitutum, in quo nihil inordinatum appareat, nihil temerarium, nihil redundans: cum ſingulas ejus partes ad Univerſitatis conſtitutionem, & pulchritudinem mirificè conſpirantes: cum viciſsitudines dierum, atque noctium, commutationeſque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, & temperationem corporum aptas: cum tàm multarum rerum, atque tantarum conſtantes, ratoſque ordines: cum Cœli, Aſtrorumque fixos, atque immutabiles curſus; ſtatuamus neceſse eſt ex operibus tàm magnificis, atque præclaris, eſse aliquam excellentem, præſtantemque Naturam, cujus Providentia, & Numine Mundus, & omnes Mundi partes initio ſint procreatæ, atque omni tempore adminiſtrentur.

Sed quid attinet res extra nos poſitas, à nobiſque maximis intervallis remotas, animo perſequi, & longè, latèque cogitatione peregrinari, cum vel in intimo, ut ita dicam, domus noſtræ conclavi, hoc eſt intrà nos ipſos, locupletiſsimos teſtes, certiſsimoſque æterni Numinis indices habeamus? Ut enim inſitas, atque inſculptas in animis noſtris notiones omittam, quæ maximum porrò habent argumentum Divinitatis; Deum profectò eſse apertiſsimè clamat tàm elegans, tàm exquiſita, tàm ſolers noſtri hujus corporis fabricatio, & deſcriptio, omniſque humanæ Naturæ figura, atque perfectio; Deum mirifica ſolidarum, fluidarumque partium temperatio, & concentus; Deum adeò varii, ac multiplices, ſeque mutuò ſuſtentantes earum motus, certis, æternis, atque immutabilibus adſtricti legibus; Deum denique multiformes, actuoſique ſucci, & humores, ita attemperatè, ita opportunè, ità commodè ſuis quique veluti peculiaribus cribris ab univerſo ſanguine expreſsi, in eumque plerique ſuo tempore refluentes, tam multis, tantis, tàm variis humani corporis functionibus providentiſsimè accomodati. Quid? alternę cordis, cerebrique motiones, ceterarum omnium origo, & principium; quid? præclariſsimum illud reſpirationis inſtrumentum, & excellens, ſubtiliſque ſanguinis fabrica ſingulari opera, ſummoque artificio perfecta; quid? ſanguinis toties quotidiè reperiri, nulloq; tempore intermiſsi circuitus; quid? admirabiles vię, quibus deperditę ſingulis momentis particulæ promptiſsimè reparantur; quid? ſenſus omnes interpretes, ac nuncii rerum maxima induſtria elaborati, & confecti, Animæque ad corpus tuendum vigilantiſsimi admonitores dati, & ad ea, quæ profutura ſunt, diligentiſsimè proſequenda, quæ verò nocere poſsunt, quibuſcumque rationibus declinanda; quid? denique ſinguli artus, minimæque particulæ, quæ ità natæ omnes, atque locatæ ſunt, ut nihil earum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſsarium, nonne Deum eſse declarant ſapientiſsimum omnium Opificem, & tanquam Architectum, & Molitorem?

Hanc

(3) *Quia nonniſi Rationis lumine ducti, Deum eſſe tenemus; Dei namque* exiſtentia *Fidei articulus dici non debet, ſed* præambulum *ad articulos, ut optimè obſervat D. Th. 1. part. q. 2. art. 2. non enim ideo Deum eſſe putamus, quòd ipſe ſe nobis exiſtere* revelaverit, *ſed quia* inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, *ut monet Apoſtolus primo ad Romanos Epiſtola, nec Deo* revelanti *fidem præſtare poſſemus, niſi prius nobis Deum exiſtere, ipſumque ſummè veracem eſſe conſtaret.*

[4] *Vid. D. Th. p. part. q. 2. art. 1. 2. & 3. Fenelon Demonſtration de l'exiſtence de Dieu, Petavium, & Thommaſſin. de Deo, Deiq. propriet. Rajum de exiſtentia, & Sapientia Dei manifeſt. in operibus creationis, Derham de eodem argumento, &c.* [illegible]

Hanc igitur æternam , rerumque omnium Parentem Naturam, cum certò exiſtere humana Ratio cognoſcit , tum omni etiam perfectione cumulatam , & ſummè bonam , atque infinitam, ſummè potentem , ſummè ſapientem intelligit; [5] ex quo illud ſponte conſequitur, firmiſsimam ejus dictis , ac teſtimoniis fidem eſse adhibendam , nec dubitandum omninò , quin vera ſint quæcumque ab ipſa affirmantur , etſi primo adſpectu naturalibus, atque ingenitis in animis noſtris notionibus adverſari quodammodò videantur . Cum enim ad infinitam Dei Sapientiam cogitationem convertimus , eumque propterea nihil prorsùs latere , nihil ei eſse non ex omni parte exploratum , nihil ſagaciſsimum , acerrimumque oculorum ejus obtutum fugere poſse deprehendimus , intimaſque rerum omnium naturas , & modos , omneſque humanæ mentis cogitationes optimè perſpectas habere , & circa eum , tanquam in medio cujuſdam circuli conſtitutum, futura omnia , & præterita , æque ac præſentia , aſsiduè circumvolvi, & rotari , jam profectò perſpicuè apparet , nullo pacto eum falſa ſentire, minimèque gentium in errorem poſse delabi . Cum verò ſummam Dei Bonitatem animo reputamus , omnem penitùs ab eo fraudem , omne mendacium longiſsimè abeſse fatemur , nec poſse unquam accidere, ut nos in errorem , inque pravas opiniones conjiciat, nobiſque falsa pro veris, magna pro parvis , pro certis ambigua, utilia pro pernicioſis obtrudat . Quòd ſi aliundè Divinam Omnipotentiam , infinitamque Dei Magnitudinem conſiderare velimus , nullis certè finibus , nulliſque terminis circumſcriptam , ac definitam , eamque comparemus cum rudibus , obtuſiſque noſtrarum mentium ingeniis , quæ tam anguſtis undique cancellis circumſepta ſunt, & concluſa , (6) ut, omni ſtudio , & labore adhibito, ne viliſsimarum quidem rerum , & ante pedes poſitarum naturas aſsequi poſsint , ſine dubio inveniemus , ſummam , qua Deus pollet , rerum omnium poteſtatem , immenſamque ejus amplitudinem , atque præſtantiam , infirma , exilique animi noſtri intelligentia non eſse metiendam , longèque plura eum facere poſse, quàm nos ulla cogitatione comprehendere valeamus , in quibuſque , ut præclarè ab Auguſtino monemur, [7] non alia facti ratio poſsit afferri , quam Facientis Potentia.

Poſtquam duo hęc diligenter explorata principia perſpicuè nobis Ratio propoſuit, quibus unicè, tanquam firmiſsimis fundamentis, omnis vera Religio , omniſque *ſupernaturalis* Theologia nititur , ac ſuſtentatur , Deum nempè unum eſse omnium , qui nec falli poſsit, nec fallere, (8) ſummamque ejus amplitudinem , atque Potentiam minimè ex imbecillis , hebetibuſque ingenii noſtri viribus eſse æſtimandam , ſimplices præterea , directaſque vias præmonſtrat , quibus certò dijudicare poſsimus , an verè Deum Authorem habeant quæcumque ab ipſo profecta eſſe dicuntur . Cumque duæ omninò *Revelationes* Hominibus à Deo factæ perhibeantur, altera Patriarchis , atque Prophetis , quæ veteri Teſtamento tota concluditur, altera verò longè clarior, nobilior , atque perfectior per Filium ejus *Conſubſtantialem*, atque Unigenitum , quæ novo Fędere continetur ; quam porrò ſententiam habent Apoſtoli verba, quibus luculenter affirmat , [9] quòd *multifariam , multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis , noviſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*: ſingula Ratio argumenta gradatim percurrit, & ſyncero quodam, pruden-

(5) *Vid. D. Th. part. 1. q. 4. art. 1. & 2. q. 6. 7. 14. & 25.*

[6] *Vid. Loke* de l' entendement humain , *ubi oſtendit quouſque porrigantur certæ Hominum cognitiones , præcipuè lib. 4.*

(7) Demus , Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe . In talibus rebus tota ratio facti eſt Facientis Potentia. *Auguſt. Epiſt. 137. n. 8.*

[8] *Hoc principio omnes humanæ cognitiones etiam naturales nituntur , non enim alia ratione certi ſumus , nos minimè falli in rebus , quæ nobis evidentes apparent , quaſque clarè , ac diſtinctè percipimus , niſi quia fieri non poteſt , ut Deus Optimus , ac Sapientiſſimus naturale nobis lumen conceſſerit , quo decipiamur , quodque falſitatem tamquam veritatem repræſentet .*

[9] *Hebr. c. 1. v. 1.*

tiquejudicio perpendit, quibus utramque à Deo *revelationem*, reverà profluxiſse agnoſcamus. [10]

Jam verò, quæ veteris Teſtamenti nomine inſcribuntur volumina, divinum eſſe opus, atque æterni Numinis inſtinctu, afflatuque conſcriptum, [11] nemo ſanè communi ſenſu, & conſilio præditus inficiari audebit, ſi modò animum diligenter velit advertere, ac ſeria cogitarione conſiderare, quæ in eorum Scriproribus fuerit morum integritas, quæ Juſtitia, quæ Religio, quæ Fides, quæ ſpectatiſſima in omni virtute præſtantia, ſi doctrinæ, ac præceprorum Sanctitatem, arque excellentiam, quibus ad ſinceram erga Deum pietatem, & ad vitam ſanctiſſimè, atque honeſtiſſimè traducendam Populos erudiebant, ſi egregia, ac perſpicua, quæ ſibi invicem tribuunt Divinæ Miſsionis teſtimonia, & mutuas, præclaraſque cujuſque dictorum confirmationes, ſi innumera propemodùm præter rerum omnium naturam parrata miracula, ſi certiſsimas, evenruque ipſo adamuſsim probatas futurorum prædictiones, (12) non ambiguis, incertiſque verbis conceptas, & ad contrarios exitus plerumque verſatiles, (13) non de inſtanribus rebus, aur neceſsariò eventuris, aur callida conjectura perſpectis, non ad honores, divitias, ampliſsimoſque dignitatum gradus adipiſcendos, ſed perſæpè apertas, atque evidentes, ſed hominum, locorum, ac temporum definitione concluſas, ſed in longiſſimum tempus creberrimè pertinentes, deque iis rebus, quarum nullam humana Ratio præſenſionem habere poterar, cumque ranto bonorum, nominis, ac viræ contemptu, ut in Populorum, ac Principum offenſionem, & in apertam perniciem incurrere non dubirarent. [14]

Verùm, ut hæc omnia nobis argumenta deficerent, quæ maximum certè ſingula per ſe pondus habent, atque momentum, vel una nos Chriſti Authoritas frangere, nobiſque inſtar omnium eſse deberet, quem, ut veteris Teſtamenti fideliſſimum Approbarorem deprehendimus, (15) ità & novi Fœderis Divinum Authorem confiteri ſubigimur. [16] Hoc enim vei ex eo potiſsimùm intelligi poteſt, quòd prænunciati à veteribus Prophetis futuri Meſsiæ characteres ità attemperarè

in cum

---

(10) *Nihil dico de* revelationibus, *quas Pagani, ſe habere jactabant, quæ omni ex parte apertiſſimas ſuæ falſitatis notas oſtendunt, quæque à veteribus Eccleſiæ Patribus, veluti Tatiano, Theophilo Antiocheno, Hermiude, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Origene, Minutio Felice, Arnobio, Lactantio, Euſebio, aliiſque pluribus invictis rationibus ſunt refutata. Nihil etiam de* revelatione, *quam ſe habere jactant Mahumetani, quæ nullos Divinitatis characteres præſefert; imò permulta falſa, fabuloſa, atque impia continet Alcoranus, nihilque aliud apparet, quàm fœda antiquarum hæreſum, ſententiarum evangelicarum, ac thalmudicarum traditionum colluvies. Vid. ipſum Alcoranum ex verſione Ludovici Marruccii, ejuſque luculentum refutationem.*

(11) *Vid. Du-Pin Prologom. in Bibl. tom. 1. Lib. 1. cap. 2., Calmet Sermon. general. ſuper Prophet. & Diſſertat. de inſpirat. Sacrorum Libror., Bellarmin. de Verbo Dei Lib. 1. & 2., Huet. demonſtrat. Evang. prop. 4. 5. 6., quibus oſtenditur omnes veteris Teſtamenti libros eſſe genuinos, ac fuiſſe olim divinitùs inſpiratos.*

(12) *Vid. Boſſuet Serm. de Hiſtor. univerſ. part. 2. n. 4. & 5., Calmet locis citat., Prideaux de Judæorum, & Populorum finitimorum hiſtoria, ubi omnia veterum Prophetarum oracula ſuo tempore impleta fuiſſe ſingillatim oſtenditur.*

(13) *Quale inter alia ferè innumerabilia fuit oraculum Crœſo datum priuſquam cum Cyro bellum iniret; nimirùm, tunc ipſum in periculo fore, cum in Medis mulus regnaret, magnumque à Crœſo Imperium deſtructum iri, cum Halym fluvium trajiceret. Cum verò ipſe à Cyro devictus fallaces Deos conquereretur, reſponſum tulit, mulum eſſe Cyrum victorem, utpote ex patre Perſa, ex matre Medica natum; ipſum verò Cræſum Halym tranſeundo, non alienum, ſed ſuum Imperium deſtruxiſſe, adeoque oraculi fidem conſtare. Herodot. lib. 1.*

[14] *Iſaias ſerra, ut quidam volunt, lignea medius ſectus fuit; Ezechiel à ſui Populi Principe occiſus, Jeremias multas calamitates exhauſit, cæterique ferè omnes Prophetæ multa indigna ſunt paſſi. Vid. Prideaux ibid., Calmet, Sermon. general. ſuper Prophet. art. 3. & peculiar. in ſingulos Prophet. Sermon.*

[15] *Pluribus locis Chriſtus Dominus, Moyſen, cæteroſque Sacros Scriptores tamquam divinitùs inſpiratos commemorat. Matt. xxiii., 2. Luc. xvi. 29. Jo: I. 45. &c.*

(16) *Vid. Abbadie de Divinit. D. N. J. C., Rouxelin. de eod. argum., Thomaſſin. de Verbi Dei Incarn. Lib. 4. cap. 1. 2. & 3., Natal. Alexand. Hiſtor. Eccleſ. ſecul. IV. Diſſert. XLII. De Filii Dei conſubſtantialitate.*

in eum omnes ad unum convenire inveniuntur, (17) ut audaciſsimi Chriſtianæ Religionis Hoſtes, perfidique ejus transfugæ, ac proditores, rerum evidentia convicti, quaſdam ex antiquiſſimis eò pertinentes vaticinationes, contra infractam veterum monumentorum fidem, contra omnium Antiquorum authoritatem, totiuſque Synagogæ graviſsimum teſtimonium, doloſè confictas eſse non minùs ineptè, quàm ſceleratè ſomniaverint; (18) hoc natalis ejus dies palàm demonſtrat, qui in ea maximè incidit tempora, quæ multis ante ſeculis fuerant à ſacris Oraculis indicata, quibuſque non ab Judæis modò, (19) ſed ab univerſis etiam Orientis Nationibus, ſubobſcura quidem, ſed pervagata tamen, conſtantique fama permotis, jamjamque naſciturus Meſsias certiſſimè expectabatur; [20] hoc clarè, & luculenter oſtendit ſanctiſſima ejus, atque integerrima, ſimulque laborioſiſsima vitæ ratio, in quam nulla ambitionis, nulla avaritiæ, nulla immoderatæ cupiditatis ſuſpicio cadere poſsit; hoc omnia ab illo præſcripta, atque imperata humanitatis, ac Religionis officia innatis in animis noſtris notionibus quammaximè conſentanea, & ad Naturam humanam perficiendam, humanique Generis veram, ſolidamque felicitatem producendam mirificè idonea; [21] hoc exploratiſsima futurarum, rerum, longiſ-

---

[17] *Vid. Calmet Serm. de Meſſiæ charaέter. Grot. de verit. Relig. Chriſt. Lib. 5. §. 17. Huet. Demonſtr. Evang. prop. 7. 8. 9.*

(18) *Porphyrius Sacræ Scripturæ infenſiſſimus hoſtis bonum volumen contra Religionem Chriſtianam conſcripſerat, in quindecim Libros diſtributum, quorum duodecimum in impugnanda Danielis Prophetia totum impenderat, ut probationes, quas de Meſſiæ adventu inde trahunt Chriſtiani, penitùs infirmaret, omneſque artus, ac nervos contenderat, ut probaret omnia Danielis vaticinia poſt Antiochi Epiphanis mortem fuiſſe conſcripta. Vid. Hieronym. in proemio ad Commentar. in Daniel. ubi inter alia hæc de Porphyrio habet:* Cujus impugnatio teſtimonium veritatis eſt. Tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixiſſe, ſed narraſſe præterita.

(19) *Judæi ità eo tempore Meſſiam expectabant, ut Magiſter Hebræus Nebemias, qui annis quinquaginta Chriſtum præceſſit, apertè jam tùm dixerit, non poſſe ultra eos quinquaginta annos protrahi tempus Meſſiæ à Daniele indicatum. Grot. de Verit. Relig. Chriſt. l. 5. §. 14., qui pergrat am porrò feciſſet, ſi monumentum, unde hanc narrationem hauſit, indicaſſet. Primi Herodis Adulatores, cum tempora mirè congruere animadverterent, ipſam Meſſiam eſſe dixerunt, ut refert Hieronymus, Chryſoſtomus, & Epiphanius hæreſ. 30. unde nata eſt Herodianorum ſecta, cujus fit mentio Matt. xxii., 16. Marc. iii. 6. &c., quæ Paganis non fuit incognita, quoniam Perſius, ejuſque Scholiaſtes nos docet, etiam Neronis temporibus natalem Herodis diem eadem, qua Sabbathum, ſolemnitate fuiſſe celebratam.*

Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thymni, tumet alba fidelia vino.
Labra moves tacitus, recutitaque Sabbatha palles. *Perſ. Sat. 5. Vetus Interpres hæc habet.* Herodiani diem natalem Herodis obſervant, ut etiam Sabbatha, quo die lucernas accenſas, & violis coronatas in feneſtris ponunt. *Hanc Herodianorum Sectam aliter explicat Prideaux Judæor. Hiſtor. 2. part. lib. 5. contra Hieronymi, Chryſoſtomi, Epiphanii, aliorumque veterum Patrum authoritatem. Qua fronte, & quàm idoneis rationibus ductus id fecerit, ceterorum judicium eſto. Suſpicati ſunt etiam Judæi, Joann. Bapt. eſſe Meſſiam, adeo illis perſuaſum erat, per ea tempora Meſſiam naſci debere.* Exiſtimante autem Populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus *Luc.* iii. 15. Miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, ut interrogarent eum. Tu quis es, & confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus *Jo: I. 19--20. Vid. Boſſuet de hiſtor. univerſ. part. 2. n. 10., Huet. Demonſtrat. evang. prop. 9. cap. 8., ubi multis argumentis oſtendit Jeſum eo tempore natum, quo à Judæis Meſſias expectabatur.*

[20] Percrebuerat Oriente toto vetus, & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. *Sueton. in Veſpas:* Pluribus perſuaſio fuerat, antiquis Sacerdotum Libris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. *Tacit. Annal. l. 15.*

(21) *Vid. Grot. ibid. lib. 2. §. 11. & ſeqq., Huet. de Concord. ration. & Fid. lib 3. qui Religionis Chriſtianæ præceptorum Sanctitatem, atque excellentiam expendunt, eaque Philoſophorum Ethnicorum præcepta longiſſimè ſuperare demonſtrant.*

longiſsimèque ab ejus ætate remotarum cognitio; (22) hoc flagitioſiſsimi, ac perditiſsimi homines ad innocentiſsimam vivendi rationem ſine vi, ſine armis, ſine Miniſtris, & ſatellitibus publicę poteſtatis leniſsimè redire compulſi; hoc cœci jucundiſsimę lucis uſura benigniſsimè redonati; hoc Mortui, jam reſolutis, putidiſque corporibus, in vitam mirabiliter reſtituti; hoc ferocientes morbi, ac mortiferi repente ad ejus arbitrium, & nutum fugati, rejectæque retrorſum, atque omninò labefactatæ, & contritæ ſæviſsimæ mortis, infernique Principis minæ; hoc fremebundi, & per ſummam rabiem reluctantes Dæmones, atque horriſonos mugitus, & formidandos ex profundis hominum pectoribus gemebundi emittentes, immanibuſque ululatibus indignabundi conclamitantes, aeremque omnem quoquoverſùs, & litora omnia Maris Tiberiadis ingentibus undique olim fragoribus concutientes, cum ab oppreſsis, afflictiſque corporibus diſcedere juberentur; hoc univerſa rerum omnium Natura ſuas immutabiles leges, rerumque ordinem ſempiternum ſæpenumerò invertere, vel eo imperante, vel eo deficiente coacta; (23) hoc tandem firmiſsima, & religioſiſsima Apoſtolorum, eorumque omnium, quibuſcum diutiſsimè, ac familiariter vixit, præclariſsima teſtimonia, & Chirographa, non gentilitio aliquo ſigno, aut incerto, & fallaci, ſed proprii ſanguinis, hoc eſt

---

(22) *Multa Chriſtus prodixit, quæ eventus ipſe probavit, quæque veritatem, ac Divinitatem ejus Doctrinæ confirmant*: Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus, *ideſt Pilato, Romaniſque Militibus*, ad illudendum, & flagellandum, & Crucifigendum, & tertia die reſurget *Matt. xx. 18--19., prędixit, ſe à Juda prodendum Matt. xxvi. 23., Se à Diſcipulis deſerendum Matt. xxvi. 31., ter à Petro negandum Marc. xiv. 30., prænunciavit etiam Jeroſolymæ deſtructionem Matt. xxiv. Marci xiii. Luc. xxi. per tot., quo genere mortis Petrus eſſet moriturus Jo: xxi. 18., multa etiam de Evangelicæ doctrinæ progreſſu, multa de Apoſtolorum perſecutionibus &c.*

[23] *Neque Celſus, neque Julianus Apoſtata, cum in Chriſtianos ſcriberent, aliqua Chriſti prodigia negarunt; Thalmudici verò Scriptores nonnulla apertè fatentur in Titulo Abodà Zarà. Vid. Grot. de Verit. Rel. Chriſt. lib. 2. §. 5. Plerique ex Rabbinis, cum Chriſti miracula propter eorum evidentiam negare nequeant, commenti ſunt, eum è Templo abſtuliſſe* Tetragrammaton, *ſeu Nomen ineffabile Dei, cui miram ad prodigia patranda virtutem tribuunt, quodque ſcriptum fuiſſe ajunt ſuper petra fundamenti, hoc eſt qua antiquitùs Arca ſuſtinebatur, atque hoc nomen aſſiduè ſecum ferendo innumera eum feciſſe miracula. Toledoth apud Prideaux Iudaor. hiſtor. part. 1. lib. 3. Alii magicis artibus Chriſti miracula adſcribunt Patrum ſuorum veſtigia ſequentes, qui Jeſu ipſi in os objiciebant in Beelzebub Dæmones ipſum expellere Matt. xii. 24. Vid. Huet. Demonſtr. Evang. prop. 39. c. 39. Nec Judæi ſolùm, ac Ethnici, ſed & inſignes etiam Alcorani Interpretes, Doctoreſque Mahumetani plura Chriſtum miracula feciſſe fatentur. Vid. Ludovic. Marract. Prodrom. ad refut. Alcoran. p. 2. c. 2. Imò, & Maumethes ipſe in Alcorano idipſum apertè confirmat. Nam Sura 3. de Familia Amran verſ. 48. poſtquam admirandam Chriſti ex Maria Virgine per Angelum Gabrielem internuntium conceptionem expoſuit, eumdem Chriſtum ita Judæos alloquentem inducit juxta ejuſd. Marrac. verſion.:* Ego jam veni ad vos cum miraculo à Domino veſtro: Nam ego creabo vobis ex luto veluti figuram avis, & inſufflabo in eam. & evadet avis per voluntatem Dei, & ſanabo cœcum à nativitate, & leproſum, & vivificabo mortuos per voluntatem Dei, & divinabo vobis quid manducetis, & quid recondatis in domibus veſtris. *Et Sura 5. de Menſa verſ. 119. inducit Deum ita cum Chriſto poſt ejus aſcenſum in cœlum loquentem*: O Jeſu Fili; Mariæ memento beneficentiæ meæ erga Te, & erga Genitricem tuam, cum roboravi Te Spiritu Sancto, ut alloquereris homines cum eſſes in cunabulis, & ſenex, & cum docui Te Scripturam, & ſapientiam, Pentateuchum, & Evangelium, & cum creabas ex luto veluti figuram volucris ex conceſſione mea, & inſufflaſti in eam, & evaſit volucris per conceſſionem meam, & ſanaſti cœcum à nativitate, & leproſum ex conceſſione mea, & reſuſcitaſti mortuos per conceſſionem meam. Et cum defendi Te à Filiis Iſrael, quando veniſti ad eos cum miraculis evidentibus: Et dixerunt Infideles ex illis: hæc non eſt niſi magia manifeſta. *Illud poſtremò non omittendum, quòd Chriſti miracula multò ante ejus adventum fuerunt prænunciata.* Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut Cervus Claudus, & aperta erit lingua mutorum. *Iſ. xxxv. 6. Ceterùm Chriſti miracula, per ſe quidem, ejus Divinitatem non probant, nam & Moſes, aliique Propheta prodigia multa fecerunt, ſed* ſufficientia tamen erant ad manifeſtandam Divinitatem ipſius, *ut loquitur D. Thom. par. 3. quæſt. 43. art. 4.* ex ipſa doctrina, qua ſe Deum dicebat, quæ, niſi vera eſſet, non confirmaretur miraculis Divina virtute factis, *& D. Auguſtinus apud D. Thom. ibid.* Fatemur, ait, & nos talia quædam feciſſe Prophetas, ſed & ipſe Moſes, & ceteri Prophetæ Dominum Jeſum prophetaverunt, & ei gloriam magnam dederunt.

hoc eſt certiſsima veritatis nota obſignata, [24] qui, cum una voce, non ſolùm à Deo miſsum, ſed & ipſum verum eſse Deum, atque Æterno Patri *Conſubſtantialem* [25] intrepidè clamant, atque apertè, animosèque teſtantur.

Ubi clarè perſpeximus, quæcumque ſacris Codicibus continentur nonniſi vera eſse poſſe, quòd ab æterna Veritate profluxerint, rectiſſimas deinde nobis Ratio vias oſtendit, quas omninò debemus insiſtere, ut eorum vim, atque ſententiam in profundo

---

(24) *Integram Apoſtolorum in rebus narrandis fidem, vel illud ſummoperè confirmat, quòd plura ab illis enarrata in extraneis etiam Scriptoribus inveniuntur. Multa habet Joſephus de Jo: Bapt., Herode, ac Pilato, ut nihil dicam de inſigni ejuſdem Authoris loco, Chriſti Divinitatem teſtante, quem pia fraude ſuppoſitum aliqui ſuſpicantur, quamvis in veteribus Joſephi manuſcriptis reperiatur. Tacit. lib. 15. Annal. Chriſti ſub Pilato crucifixionis mentionem facit.* Tiberio, *inquit*, imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. *Veteribus Romanæ Urbis Arcanis, ut loquitur Tertullianus Apolog. c. 21., multa continebantur de iis, quæ in Chriſti morte evenerunt; Pilatus enim diſtinctam ejus ſupplicii Narrationem Tiberio miſerat. Vid. Tillemont. not. 35. Sur. Ieſus Chriſt. Chalcidius Platonicus,* notanda eſt, *inquit Commentar. in Timæum Platon.* alia Sanctior, & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de ortu ſtellæ cujuſdam, non morbos, morteſque denunciante, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, rerumque mortalium gratiam, quam ſtellam, cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profectò ſapientes viri, & conſideratione rerum cœleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentis Dei ortum, repertaque illa Majeſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto digna nuncupaſſe. *Non deſunt tamen, ut verè loquar, qui hæc verba Chalcidio aſtuta fuiſſe ſuſpicentur. Impius autem Julius Cæſar Vanini in pernicioſo, ac deteſtabili opere, quod centum circiter ab hinc annis latinè promulgavit ſub ſpecioſo titulo* Amphitheatri æternæ Providentiæ, *tam luculento Veritatis Catholicæ teſtimonio irritatus, Chalcidium Platonicorum moderatiſſimum, graviſſimoque, ac ſolidiſſimo judicio pollentem, vanum, ac frivolum ſermocinatorem appellat. Macrobius lib. 2. cap. 4. ſtragem innocentium Puerorum enarrat, deque Auguſto Cæſare hæc habet:* Cum audiſſet inter Pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum juſſit interfici, Filium quoque ejus occiſum, ait, melius eſt, Herodis porcum eſſe, quàm Filium. *Mirabilis illa ſolis defectio, & ingens Terræ motus, qui Chriſto moriente contigit, ab ethnicis etiam Scriptoribus commemorantur. Nam Phlegon Adriani libertus lib. Olymp. chronic. 13. hæc habet, prout vertit Hieronym:* quarto autem anno 202. Olympiadis (*is eſt ſcilicet Tiberii 18., quo Chriſtus eſt mortuus*) magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis facta. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicææ Urbis multas ædes ſubverterit. *Eamdem autem notari à Phlegonte hiſtoriam, quæ ab Evangeliſtis narratur, oſtendant potiſſimùm, quòd in eumdem annum utraque incidat, annum nempe Tiberii 18., quòd utraque hora ſexta contigerit; quòd ingens terræmotus tenebras ſit comitatus, quòd toto anno, qui à Phlegonte indicatur, nulla fuerit, nec eſſe potuerit naturalis Solis eclypſis. Vid. Huet. Demonſtr. Evang. prop. 3. n. 8. Tillemont. not. 35. Sur Ieſus Chriſt Pag. in Critic. Baronian. ad ann. Chriſt. 32. n. 12. Denique, vel apud Sinarum Populos, in extremis Orientis Regionibus poſitos, aſſiduæ aſtrorum obſervationi ſummoperè addictos, & in magnis rerum eventibus memoriæ prodendis, eorumque temporibus accuratè notandis diligentiſſimos, in eorum faſtis relatum habetur imperante Rege* Quam-vu-ti *fuiſſe Aprili Menſe Solis eclypſim, quæ totam ejus faciem obſcuraverit, ſummumque huic Principi timorem injecerit, quòd, ut ipſi ajunt, contra conſuetum naturæ ordinem accidiſſet, quæque aſtronomicas eorum obſervationes penitùs perturbaverit; Tempus autem, quo ejuſmodi eclypſim eveniſſe eorum monumenta teſtantur, anno iv. 202. Olympiadis, & 18. Regni Tiberii adamuſſim reſpondet. Vid.* l' Hiſtoire de la Chine d' Hadrien Greslon, *& Dominicum de Colonia Societatis Ieſu in eruditiſſimo ejus opere, cui Titulus:* La Religion Chretienne autorisèe par le temoignage des anciens Auteurs Payens part. 1. *cap.* 1. §. 10. *Quanti autem momenti ſint Apoſtolorum teſtimonia de Chriſti Divinitate, deque aliis rebus, quæ ab ipſis narrantur, oſtendit vel maxime, præter alios. Du-Pin Prolegom. in Bibl. tom. 2. lib. 1. c. 2. Grot.* de Verit. Relig. Chriſt. *lib. 3. §. 5. & ſeqq. Abbadie de eod. argumento 1. part. ſect. 2. cap. 3. 4. & 5. Vid. etiam Houteville* De la Religion Chretienne prouvèe par les faits, *Colonia ibidem, Dionyſium ut in exiguo, ita, & verè aureo opere, quod inſcribitur* la veritèe de la Religion Chretienne demontrèe par ordre geometrique, *præcipuè ſecunda, & tertia propoſ. quas* fundamentales *appellat, earumque ſolidiſſimas probationes, Huet. demq. ibid. prop. 1. 2. & 3. ubi etiam oſtenditur genuinos, & coetaneos eſſe novi Teſtamenti libros, & hiſtorias in novo Teſtamento ſcriptas, eſſe veraces ex conſenſu Scriptorum novi Teſtamenti, & exterorum Suffragiis. Vid. Buffier* Traitè des premiers Veritez, & de la Source de nos iugemens 1. *part. cap. 19. ubi optimas regulas tradit, quibus de humanæ Authoritatis pondere judicare poſſimus.*

[25] *Apoſtoli Chriſtum Patri* conſubſtantialem *non verbo, ſed re appellarunt, ut ex Scripturis, & ex Traditione, Scripturarum interprete Concilium Nicænum definivit.*

Digitized by Google

fundo plerumque demerſam vel penitùs intelligere, vel ad eam ſaltem quamproximè poſſumus accedere valeamus. Et primò quidem, ut à Veteri Teſtamento exordiamur, cum penè omnes ejus Codices Hebraico fuerint ſermone conſcripti, cumque fere univerſos ipſi Judæi vel in græcam, vel in chaldaicam, [26] ſive ſyriacam, aliamve ex iis, quę apud Orientis Nationes uſurpantur, linguis, converterint, neminem ignorare arbitror, quot commoditates ex harum cognitione linguarum, collatis inter ſe exemplaribus, ad ſacras literas explicandas, verborumque vim penitùs percipiendam, oriantur, & ad Judæorum fraudes ipſis eorum teſtimoniis convincendas, qui, ut Chriſtianorum argumenta declinarent, plurima ex hebraico Textu detraxiſse, multa etiam vel addidiſse, vel immutaſſe arguuntur. [27] Cujus rei exemplum eſse poſſunt verba illa Pſal. xxi. quæ in Vulgata noſtra verſione leguntur; *Circumdederunt me canes multi; Concilium malignantium obſedit me; foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſsa mea*; quorum ſententiam Judæi poſt undecimum ſeculum unius literæ ſive voluntaria, ſive fortuita quidem, ſed præfractè poſtea defenſa permutatione, penitùs inverterunt, loco כארו *Caarù*, quod *foderunt* latinè ſonat, כארי *Caarì* ſubjicientes, quod redditur *tanquam leo*, atque hoc pacto hanc illis ſignificationem verbis affinxerunt: *Concilium impiorum circumdederunt me, tanquam leo meos pedes, & meas manus*; quæ nemo non videt quàm longè à nativo ſenſu recedat, quàm incondita ſit, quàm obſcura, quàm præpoſtera, quàm perturbata. Hanc verò fraudem facillimè detegemus, ſi antiquiſſimam Septuaginta Interpretum verſionem conſulamus, ſi chaldaicam, atque ſyriacam, ſi Theodotionis, ac Symmachi, imò & eam ipſam, quæ Aquilam habet Authorem, perfidum illum Judæum, ac veritatis hoſtem pertinaciſsimum, qui non alio conſilio ſuam adornavit, niſi, ut Chriſtianis adverſaretur, quæ profectò omnes hoc loco Vulgatæ noſtræ mirificè conſonant, omnique ex parte conſentiunt. (28)

Tenenda præterea eſt, ſi Rationis præceptis auſcultare velimus, omnis Populi Judaici antiquitas, moreſque ejus, ac ritus, militiæ ordo, & Diſciplina, res nummaria; temporum ratio, locorumque omnium, quorum ſacræ Literæ meminerunt deſcriptio, (29) maritimæ, ac terreſtres negotiationes, cetera denique

omnia

(26) *Priores verſiones Chaldaica pro Judaico Populo fuerunt excogitatæ, qui captivitatis tempore per Chaldæam, Aſsyriamque diſſipatus chaldaicè loqui aſſuevit, atque omninò, proceſſu temporis, hebraicam linguam dedidicit, quod minimè in Ægypto contigerat, quamvis ibi triplo majori temporis ſpatio fuerit commoratus, quia omnes in unum congregati vivebant.*

(27) *Permulti quidem hoc ſentiunt, verùm Du-Pin Prologom. in Bibl. lib. 1. cap. 4. valdè probabiles rationes affert, quare Textus hebraicus minimè fuerit Judæorum malitia corruptus, oſtenditque, quæ ſint corruptiones, cujuſque natura, atque unde in hebraicum Textum irrepſerint: Utri probabiliora dicant, expendere inſtituta brevitatis ratio non patitur.*

(28) *Vid. Calmet. diſſert. de eod. loco Pſalmi XXI.*

[29] *Nemo ignorat quantoperè in ſacra geographia excellat Bochartus, exquiſita rerum antiquarum, ac præcipuè ad Orientis Populos pertinentium, eruditione ornatiſſimus, & in conjecturis capiendis plerumque feliciſſimus, ſed præter modum fortaſſe etymologiarum amator, unde paululùm ſimili verborum ſono nimis tribuere nonnumquam videtur, cum tamen perſæpe contingat, ut eadem planè vox à diverſis Populis uſurpata longè diſparem, & interdum prorsùs contrariam ſignificationem, & originem habeat; Sic v. g. in Chanaan lib. 1. cap. 33. Brutiorum Regionem cum parte Lucaniæ, quæ ſola primitùs Italia nomine dicebatur, ex picis abundantia, Italiam à voce* עיטר nghitar, *quæ picem notari ait, fuiſſe appellatam exiſtimat, poſteaque hujuſmodi nomen ad omnem regionem inter Alpes, & Siculum fretum concluſam fuiſſe porrectum. Verùm, præterquamquod nullibi ſcriptum apparet, Phœnices in Lucanos, ac Brutios ullo tempore ad emendam picem veniſſe, cum Phœniciam, finitimaſque Regiones picis eſſe feraciſſimas omnibus ſit exploratum, liquidò patet, nominis hujus rationem, non minus in Phœniciam, ac Paleſtinam, quàm in Brutios, & Lucanos quadrare. Nec dici poteſt, Phœnices ejus Regionis comparatione, undè proximè in Italiam venerant, hoc ei nomen dediſſe; Nam verbum* nghitar, *vel* nghitra *recens eſt, ac Rabbinicum; utpote ductum ex tractatu thalmudico* gittin, *ut ibidem Bochartus fatetur, unde Phœnicibus cognitum eſſe non poterat; quamobrem ex aliis potiùs vocabulis, quibus Hebraica, ac Phœnicia lingua pix antiquitùs ſignificabatur, nominis derivationem trahere debuiſſent; Certum eſt enim priſcis temporibus nunquam picem voce* nghitar *fuiſſe dictam, cum in nullo Sacra Scripturæ*

omnia, quæ ad veterem Judæorum memoriam pertinent, penitùs pernoſcenda, ob eamque rem impia etiam, ac ſcelerata utriuſque Thalmudi volumina, [30] ceterique Judaicarum rerum Scriptores diligentiſsimè volutandi, in primiſque Joſephus, ac Maimonides, quorum alter, tametſi interdùm negligentia, interdùm ſuperſtitione, aliquando nimia credulitate, (31) perſæpè etiam perverſa, ac deteſtabili aſsentandi libidine ductus (32) non paucis ſua Scripta mendaciis conſperſerit, ſummus tamen Hiſtoricus eſt habendus, (33) plurimaque ab eo peti poſsunt, quibus maximè Veteris Teſtamenti Codices illuſtrentur; Alter verò, licèt in depravatis, corruptiſque Judæorum opinionibus, ritibuſque ſuperſtitioſis explicandis plerumque verſetur, non mediocri tamen doctrina excultus apparet, cumque aliis in rebus, tùm verò maximè eo in opere, quo, amputata, circumciſàque

---

loco hoc vocabulo notata inveniatur, ſed vel voce זפת *Zepheth, ut Iſa. xxxiv. 9. vel* דבק *Devech, ut Iſai. xxxxi. 7. quæ tamen, non picem propriè, ſed omne glutinis genus ſignificat. Itaque veroſimilius videri poſſet, Italiam de Græco vocabulo fuiſſe appellatam, quoniam Boves græca vetere Lingua, quum Phœnices in Græciam profecti uſurparunt, Ἰταλοι vocati ſunt, quorum in Italia magna copia fuerit, ut Varro, ac Timæus, antiquiſſimi Scriptores teſtantur apud Gellium lib. 11. cap. 1. Phœnices enim primò in Græciam, ubi, ſua Regionis lingua corrupta, veterem græcam formarunt, & ex Græcia partim in Lucanos, & Brutios, partim in Siciliam, atque hinc etiam fortaſſe in eoſdem Lucanos, & Brutios fertilitate, ac vicinitate locorum invitatos, vel alia quavis cauſa compulſos, perrexiſſe admodùm eſt veriſimile. Sed, cum Paleſtina, ac Phœnicia, ut Sicilia etiam, & Græcia, Boum multitudine non mediocriter abundarent, nulla eſſe cauſa videtur, cur Phœnices huic, præter alias, Regioni, ex Bobus Italiæ nomen indiderint. Adde, quòd perrarò invenitur, Provinciarum nomen ex earum loci natura fuiſſe petitum, ſed plerumque ex alicujus Regis, vel Populi nomine, & Regius ipſe Propheta Pſ. 48. v. 12. affirmat, homines priſcis temporibus nomina ſua in Terris, hoc eſt Terras ſuas ſuis nominibus appellaſſe, veluti Aſſyriam ab Aſſur, à Nino Niniven, à Sidonio Sidonios, ut latiùs videre eſt in tota Bocharti Geographia. Quamobrem veroſimilior aliorum opinio videtur, Italiam nempe ab aliquo Principe, vel aliqua in re præ ceteris excellenti homine fuiſſe dictam, qui vel Itali, vel aliud huic ſimile nomen haberet. Fateor tamen, non magnum ineſſe hujuſmodi conjecturis momentum, cum centum aliis de cauſis, quæ nos latent, ſemperque latebunt, Italia vocari potuerit, cumque multa ſint aliquando, quæ magna etiam probabilitate nos fallunt. Quapropter alii fortaſſe eadem facilitate noſtram, qua nos Bocharti, opinionem refellent: Longè enim facilius eſt aliena reprehendere, quàm, quæ nullo modo reprehendi poſſint, excogitare.*

(30) *Thalmudici Libri continent Textum Legis traditæ, quam æquo, ac Legem ſcriptam à Deo prodiiſſe putant Iudæi, nec non ingentia ejus commentaria, quæ plures habent Authores. Duplex autem eſt Thalmud, Ieroſolymitanum, quod in Iudæa, & Babylonicum, quod Babylone originem habuit. Illud anno Chriſti 300. perfectum fuit, unumque volumen in folio conficit. Alterum prodiit ſub initium ſeculi ſexti, cujus poſtrema editio Amſtelodami facta 12. volumina in folio complectitur. Sed Babylonico magis utuntur Iudæi, quòd ab illis faciliùs intelligatur. Fatendum tamen, thalmudicos libros magis ad novi, quàm veteris Teſtamenti intelligentiam valere, ex iiſque ad hanc rem utilius eſſe Ieroſolymitanum, utpotè antiquius, & ſtylo, ac ſermone Iudææ conſcriptum, quàm Babylonicum quingentis ferè poſt Chriſtum annis, & Babylonico ſtylo, ac ſermone exaratum. Vid. Prideaux Iudæor. hiſtor. 1. part. lib. 5.*

(31) *Hoc unum ſtultæ ejus credulitatis exemplum afferre ſit ſatis, quòd lib. 1. contra Appionem Homeri Poemata per longiſſimum tempus hominum memoria, ſine ſcriptura ſervari potuiſse arbitretur; quo nil ineptius. Hoc verò ſit ejus malæ fidei ſpecimen, quòd lib. 12. Antiquit. ne ſuum Græcorum irriſioni Nationem exponeret, Ptolemæum Ægypti Regem ſub ſacrificii ſpecie Ieruſalem ingreſſum affirmat, eamque poſtea contra conventa retinuiſſe; Cum tamen ceteri Hiſtorici, quos ipſe alibi probat, Ieruſalem Sabbato à Ptolemæo vi captam enarrent, quo die Iudæos, quæ erant ſuperſtitione, ſe defendere non auſuros animadverterat. Sæpè etiam impius apparet, cum res aliter, ac Sacræ Literæ, narrat, quod, ut palàm fiat, ſatis eſt Antiquitatum libros percurrere.*

[32] *Quæ eò dementiæ Ioſephum adegit, ut lib. 2. de bell. Iudaic. cap. 14. celeberrimum Iacobi vaticinium à Meſſia ad Veſpaſianum, in Iudæa Imperatorem declaratum, detorſerit.*

(33) *Quidquid in contrarium partem afferat Harduinus in Herodiad. vir omni porrò literatura multùm eruditus, ſed ex immodica ingenii fiducia ſibi res interdum ad veri ſpeciem effingens, & novarum opinionum commentis intemperantiùs indulgens. Scaliger, nimis quidem vehemens Ioſephi laudator, ſed graviſſimus tamen Iudex Prologom. lib. de emendat. temp.* Diligentiſſimus, *inquit*, omnium Scriptorum Joſephus, de quo nos audacter dicimus, non ſolùm in rebus Judaicis, ſed etiam in externis tutiùs illi credi, quàm omnibus Græcis, & Latinis, quippè cujus fides, & eruditio in omnibus elucet.

Digitized by Google

ciſàque inanitate omni, fabuliſque quampluribus, Thalmudis Babylonici libros in compendium redegit, perſpicuitatem, atque ordinem ita ſecurus eſſe intelligitur, ut Legis Digeſtum omnium, quæ viſa unquam fuerint, in ſuo genere, perfectiſsimum confeciſse credatur.

Accedat eòdem oportet, ut eadem Ratio nos docet, Populorum Judææ finitimorum Hiſtoria, quam ex profanis Scriptoribus haurire neceſsè eſt, Herodoto præcipuè, Diodoro, Xenophonte, ac Strabone. Strabo quidem (34) omnium ferè locorum, quorum deſcriptionem affert, oculatus, graviſque teſtis, Diodorus itidem [35] in longinquas regiones, quò ſuam contexeret Hiſtoriam, peregrinatus, necnon Cyrus ille Xenophontejus magno in pretio nobis habendus; non enim ſolùm ad effigiem juſti Imperii, ut Cicero Platonem ſequutus exiſtimabat, ſed etiam ad hiſtoriæ fidem, quod attinet ad Cyri geſtorum enarrationem, ſcriptus cenſeri debet, (36) Herodotus verò diligentiſsimus, atque antiquiſſimus Author, quem Patrem hiſtoriæ Tullius appellare non dubitat, cum plurimas Orientis Regiones, accuratiſsima rerum diſquiſitione adhibita, peragraverit, permagni monumenta ſunt illa facienda, quæ inde ab eo relata ad noſtra uſque tempora devenerunt, nec mediocris ei fides habenda in iis, quæ, ſeipſum vidiſse teſtatur; (37) circumſpecta tamen cautione legendus, quòd multas veritati fabulas miſceat, utpote Græcorum commentis addictus, ac mirabilium amator, atque adeò Aſiaticorum hominum, maximè verò Ægyptiorum Sacerdotum fraudibus, nonniſi mendacia fundentium peropportunus; ibi autem cum ceteris, quos ſupra commemoravimus, non deſerendus modò, ſed abjiciendus etiam, planèque contemnendus, ubi *ſacris Literis* adverſari deprehenditur. (38)

Ac ne plura, quæ ſunt penè innumerabilia, conſectet, comprehendam brevi; ſic enim Ratio ſuadet; his adjumentis, aliiſque non paucis, quæ, ne veſtra abuti patientia videar, conſultò prætereo, niſi inſtructi, atque ornati ad Sacros Codices accedamus, fruſtrà eorum ſententiam, & occultam, maximiſque difficultatibus involutam ſignificationem aſſequi poſſe ſperabimus. Quomodo enim, ut exemplis res clarior fiat, Iſaię locum intelligemus, ubi Tyrum *Sidonis filiam* appellat, (39] quidque cauſæ fuerit, cur Vaſthi ab Aſuero in publico convivanti arceſſita, Regis Imperium contempſerit, [40] niſi Joſephus, ac Juſtinus nos doceat,

[34] *Multa tamen Strabo de rebus Iudaicis planè commentitia memoriæ prodidit. Exemplo ſit, quòd ait lib. 16. Moſen Hebræos ad locum, ubi nunc Ieruſalem eſt, deduxiſſe, eoque facilè ſuiſſe potitum. Nec enim Moſes Iordanem unquam trajecit, nec Iudæi Ieroſolymam facilè obtinuerant, cum Iebuſita illam Urbem uſque ad Davidis Regnum tenuerint, quamobrem non temerè in omnibus ei fides habenda.*

[35] *Non contemnenda Diodori hiſtoria, quinque potiſſimùm prioribus libris, quibus inter innumeras fabulas, multa tamen vera narrantur, quę ad Sacram Scripturam explicandam plurimùm conferant.*

(36) *Ita cenſet Boſſuet hiſtor. univerſ. Uſſerius in Annal. Prideaux ibid. part. 1. lib. 2. Freret in obſervat. ad Xenophontis Cyropediam apud monumenta literatura Academię inſcriptionum, qui facta omnia, quæ à Xenophonte narrantur, pręter Conciones, apophthegmata, Sermones, & politicas, militareſque animadverſiones, ideo vera eſſe arbitrantur, quòd eorum multa Sacrę Scripturę conſentiant. Xenophontem autem nil, niſi maturo, prudentique judicio perpenſum ſcripſiſſe teſtatur Laertius in ejus vita.*

(37) *Magnum Herodoti diligentiæ, ac fidei argumentum affert Paul. Luc. Voyag. Ægypt. Vetera enim adhuc extantia monumenta ſe ibi diligenter exploraſſe teſtatur, omniaq. ad unguem Herodoti narrationibus reſpondere.*

(38) *Sic ſtragem Aſſyrii exercitus per Angelum factam, Ægyptiorum Commentis deceptus, non leviter immutavit. Ait enim lib. 2. Sethon Ægypti Regem ſua pietate in Deos obtinuiſſe, ut Sennacheribo Peluſium obſidente permagna Soricum multitudo divinitùs in ejus exercitum miſſa clypeorum manubria, pharetras, arcuumque nervos corroderet; atque ita Aſſyriorum Regem, cum ſe jam bello gerendo ineptum animadverteret, fugam cepiſſe. Vid. Prideaux ibid. 1. part. lib. 2.*

(39) *Iſ. xxiii. 12.*

(40) *Eſther I. 12.*

erat, (41] Tyrum à Sidoniis quadraginta, ac ducentis annis ante Templi Jeroſolymitani ædificationem fuiſse fundatam, legemque olim apud Perſas fuiſse, qua cautum erat, [42] ne illuſtres Matronæ, honeſtæque mulieres in convivium virorum adhiberentur, quam proindè religioſiſsima Perſarum Regina nullo modo perrumpere voluit: quomodò captivos Judæos *ſuper flumina Babylonis fleviſse, ſuaque in ſalicibus organa ſuſpendiſse* percipiemus, (43) quòque verba illa pertineant, quibus Deus per Iſaiam *æreas Babylonis portas ſe contriturum* minatur, (44) niſi ex profanis Authoribus (45) didicerimus, Babylonis planiciem, quòd multis fluminibus, atque canalibus, ab Euphrate præſertim deductis, interſecaretur, vehementer paludoſam fuiſse, amnicoliſque propterea ſalicibus abundantem, ipſamque urbem, mœnibus in quadrum conſtructis, quinque, & viginti portas ſolido ex ære conflatas in ſingulis lateribus habuiſse? [46] Non mediocrem profectò difficultatem præfefert Jeremiæ, (47) atque Iſaiæ (48) in ſpecie pugnans oraculum, cùm alter *ſiccitatem ſuper aquas Babylonis futuram*, alter è contrario ipſam urbem *in poſseſsionem Ericii, & in paludes aquarum ponendam* prædicat. Verùm omnis obſcuritas, ac dubitatio prorsùs tolletur, ſi Herodotum, [49] Xenophontemque (50) adeamus, ex ipſis namque accipiemus, Cyrum, ruptis Euphratis aggeribus, ejuſque aquis aliò derivatis, per ſiccum alveum Babylonem intraſse, hiatuſque aggerum nunquam poſt ea tempora occluſos, permanentibus ſubinde aquis, majores in dies effectos, indèque factum, ut omnis Babylonis regio ſtagnantibus undique aquis operiretur, ipſumque flumen facilè pedibus trajici poſset, vixque eſſet in poſterùm exiguis navigiis ferendis idoneum. [51] Quid magis primò aſpectu incredibile, quid majori verborum magnificentia jactatum videtur, quàm Salomonem, Regno non admodùm magno dominantem, (52) nullaſque auri, argentique fodinas poſsi-

[41] *Antiquit. lib. viii. c. 22. Juſtin. lib. xviii. cap. 3.*
(42) *Antiquit. xi. 6. Plutarc. in Themiſt. & lib. 1. Sympoſ. q. 1.*
(43) *Pſ. 136. v. 1. & 2.*
(44) Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. *Iſ. XLV. 2.*
(45) *Vid. Prideaux. Judaor. hiſt. p. 1. l. 2.*
[46] *Herodot. lib. 1.*
(47) *Jerem. L. 38.* Siccitas ſuper aquas ejus erit, & *LI. 36.* Deſertum faciam mare ejus, & ſiccabo venam ejus.
[48] *Iſ. XIV. 23.* Et ponam eam in poſſeſſionem Ericii, & in paludes aquarum.
[49] *Herodot. lib. 1.*
[50] *Cyroped. lib. 7.*
(51) *Arrian.* de expedit. Alexandri lib. 7. *Plura qui velit adeat Prideaux. ibid. 1. part. lib. 2., qui tamen non ita ſincerus, ut eruditus, apparet. Cum enim multis in locis alienus ſit, nullo modo eos Authores commemorat, unde plura in ſuam hiſtoriam derivavit. Sic poſtremum hunc Jeremiæ, atque Iſaiæ locum explicans, nullam Vatabli, Clarii, ac Grotii mentionem facit, ex quibus ſuam explicationem deſumpſit. Vatablus enim apud Criticos Sacros tom. 2. in prædictum Iſaiæ locum hæc habet;* Alii legunt teſtudinis, pro efficiam, ut ubi nunc eſt Babylon, ibi ſint multa ſtagna, in quibus ſint teſtudines, *& in illum Jeremiæ locum apud eoſdem Criticos Sacros tom. 3. ita loquitur:* Hoc dicit inprimis propter Euphratem, qui in oppugnatione diviſus eſt in multos alveos, qui facilè traiici poterant ſine ſcaphis. quo ſtratagemate reddidit Cyrus Urbem expugnabilem, quæ vix expugnari potuiſſet. *Grotius verò ibidem*, quia *inquit*, abducto flumine alveum Euphratis ſibi pervium fecit Cyrus, narrante Herodoto in Clio, & Xenophonte lib. 7. inſtitutionum: Idem olim Semiramis fecerat, & poſt Cyrum Alexander. *Hoc unum ad ejus defenſionem reponi poſſe videtur, quod ſæpè homines ſimilitudine ingenii in eadem incurrunt veſtigia; ſed veroſimile non videtur, Criticos eum ſacros non perlegiſſe. Credo equidem ipſum, ut ſingulari eruditione, ingenioque præditum, omnia per ſe potuiſſe feliciter expedire; ſed præreptam ſibi à vetuſtioribus laudem æquo animo ferre debuit, atque ingenuè fateri.*
(52) *Palæſtinæ longitudo ultra 160. milliaria, latitudo verò ultra 40. excepta ſolitudine, quæ eſt ab Jeruſalem, & Jordanem, & ultra, nequaquam porrigitur. Hieronymus Palæſtinæ incola in Epiſtola ad Dardanum ait:* A Dan uſque Berſabee, quæ vix 160. millium in longum ſpatio tenditur. .... Pudet dicere latitudinem Terræ repromiſſionis, ne Ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur. Ab Joppe uſque ad viculum noſtrum Bethlem 46. millia ſunt, cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo plena ferocium Barbarorum. *Reland. Palæſtin. illuſtr. lib. 2. c. 5.*

poſſidentem, omnes Reges Terræ, ut Sacræ Literę affirmant, [53] divitiis ſuperaſse, immenſamque propemodùm auri, argentique vim in Templi conſtructionem, atque ornatum impendiſse? Attamen, ſi aliunde agnoſcamus mirabilem frugum, [54] ac fructuum Palęſtinę ubertatem, eumque, qua erat ſapientia, maximas apud Orientis, atque Africæ Populos, adjuvantibus præcipuè Tyriis rei nauticæ peritiſsimis, negotiationes exercuiſse, [55] ad eumque ex Ophir, vel uno duntaxat itinere, quinquaginta, & quadringenta talenta fuiſse perlata, (56) ſi perſpectum ſit nobis quot illi à Davide fuerint divitiæ relictæ, [57] aliaque cum Regna, præter Palęſtinam, habuiſse ſubjecta, undè incredibilis ei tributorum copia redibat; (58) omnem continuò dubitationem ponemus, reſque Divina Authoritate propoſitas in falſitatis ſuſpicionem vocare non audebimus, ut nonnullos perſæpe audimus, qui ſuà rerum veritatem ignorantià metientes, quæ ipſi intelligere nequeant, commentitia eſse arbitrantur, Sacroſque itidem, ut Aſiaticos omnes Scriptores, vano, ac præſervido abreptos ingenio, nimis magnificè de rebus ſuis locutos affirmant, eorumque fidem, quavis oblata occaſione, per ſummam audaciam, atque impietatem carpere non reſormidant.

Jam ad novi Fœderis Libros planè, ac perfectè intelligendos, ut Ratione ipſa prælucente admonemur, non græcam modò linguam, quam Apoſtolos, & Evangeliſtas ſcribendo adhibuiſse comperimus, [59] ſed & Syriacam omninò calleamus neceſse eſt, quam Judæi Syrorum Principum dominationi ſubjecti adeò quotidianis, communibuſque ſermonibus adoptaverant, ut per ea tempora Hebraicę nomine appellaretur, (60] cujuſque proinde plures dicendi rationes à græci ſermonis ſimplicitate, ac nitore plurimùm abhorrentes ſacris Scriptoribus exciderunt. (61) Cumque magna noſtris temporibus lectionum varietas in exemplaribus græcis occurrat, adeunda ſunt etiam vetera manuſcripta, vetereſque verſiones, rerumque Eccleſiaſticarum Scriptores diligentiſſimè conſulendi, quò ex iis antiquam, veramque græcorum archetyporum lectionem aſsequamur, & nonnulla Vulgatę loca confirmare poſſimus, quæ ab impiis Catholicæ Religionis Hoſtibus

(53) Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges Terræ divitiis, & Sapientia..... Fecitque ut tanta eſset abundantia argenti in Jeruſalem, quanta, & lapidum *III. Reg. X. 23. & 27.*

(54) *Vid. Reland. ibid. lib. 1. c. 57.*

[55] *Vid. Huet. de navig. Salom. Calmet Diſſert. de regione Ophir, Prideaux ibid. 1. part. lib. 1. ubi Judæorum commercium ab origine repetit, & à David, qui prior in Oriente negotiari cœpit, ad noſtra uſque tempora hiſtoriam commercii, qui in Oriente habetur, breviter, ac luculenter contexuit.*

(56) *II. Chronic. VIII. 18. Hæc quadringenta talenta ſummam fere* 12960000. *ſcutorum Romanorum conficiunt. Vid. Prideaux ibid.*

(57) *Summa, quam David ad Templi conſtructionem congeſſerat, prout refertur I. Chronic. XXII. 14--16., & XXIX. 3--8., ſi ejus ratio per talenta Moſaica ſubducatur, conficit plusquam* 3200000000. *Romanorum ſcutorum, quod, cum fidem omnem excedat, ſuſpicionem affert, talenta, quibus ea computatur, non ejuſdem, ac Moſaica, fuiſſe generis, ſed iis longè minora. Vid. Prid. ibid. Calmet. diſſert. de divitiis, quas David Salomoni reliquit.*

[58] *David, ac Salomon non ſoli Palaſtinæ, ſed omni regioni ab Euphrate uſque ad Mediterraneum, ac Nilum dominabantur, Populi verò Meſopotamiæ Salomoni tributum pendebant. Vid. Calmet ibid. ubi accuratiſsima diſquiſitione Davidis, ac Salomonis divitias, earumque cauſas expendit.*

(59) *Excepto Evangelio D. Matthæi, quod Hebraico, ideſt Syriaco, ſermone ſcriptum fuiſſe Antiqui omnes teſtantur. Divum Marcum aliqui latinè ſuum Evangelium ſcripſiſſe arbitrantur, ſed veroſimilius videtur, græcum ab eo ſermonem adhibitum. Epiſtolam ad Hebræos alii hebraicè fuiſſe ſcriptam, alii græcè putarunt, & adhuc ſub Judice lis eſt. De reliquis novi Teſtamenti libris nullum eſt dubium, quin græco fuerint ſermone conſcripti.*

[60] *Titulus, qui à Pilato hebraicè Cruci fuit inſcriptus, non antiqua Judæorum lingua, ſed Syriaca ſcriptus erat, quæ, cum per ea tempora apud Judæos communis eſſet, hebræa dicebatur. Vid. Calmet Diſcours ſur l' Evangile de S. Matt.*

[61] *Quod de D. Paulo obſervavit Hieronym. unde Apologiam pro ſemetipſo hac de re ſcribere neceſſe habuit.*

ſtibus ſuppoſita eſse dicuntur. Sed nulla profectò tanti momenti cenſeri debent, quanti verba illa, quę priori D. Joannis Epiſtola continentur: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres Unum ſunt*, quæ non aliâ viâ poſsunt ab adverſariorum injuriis vindicari, quàm ſi ea oſtendàmus in pluribus Græcis, Latiniſque exemplaribus, & in antiquiſsima Armenorum verſione (62) inveniri, inque Epiſtolis, quæ hodiernis temporibus in Grçcorum Eccleſiis leguntur, eorumque mentionem fieri apud Tertullianum, Vigilium Tapſenſem, Victorem, Facundum, atque etiam, ut videtur, Cyprianum, Fulgentium prætereà, atque Eugenium, Ruſpenſem alterum, alterum verò Carthaginenſem Epiſcopum, eaque tanquam verè ab Apoſtolo ſcripta per quadringentos Africę Præſules in publica Fidei profeſsione animosè olim Arriano Regi, nihil adversùs illa objicienti, fuiſse propoſita. (63)

In eo inſuper elaborandum eſse Ratio nos monet, ut locorum naturam, nomina, & ſitum, varias etiam temporum ſupputationes, recentioreſque Judæorum mores probè noſcamus, quodque apud eos Apoſtolicis temporibus Religionis inſtitutum, quæ civilis ratio vigeret, ob eamque cauſam multiplices eorum Sectæ, atque Hæreſes, & Romanorum Imperatorum, aliorumque Principum, queis tunc Palęſtina parebat, hiſtoria (64) penitùs agnoſcenda, alia poſtremò quamplurima, quę quiſque per ſe ad eorum, quæ hic attinguntur, exemplum facilè poterit

B

(62) *Armena Bibliorum verſio D. Chryſoſtomi ætate fortè etiam ab eodem, vel ſaltem ejus ſtudio fuit concinnata. Le long. Bibliot. Sacr. cap. 2. ſect. 8.*

(63) *Victor Vitens lib. de perſecut. Vandal. ita refert verba Fidei profeſſionis, quam 400. Epiſcopi Anno 484. Hunrico Vandalorum Regi obtulerunt*: Et ut adhuc luce clariùs unius Divinitatis eſſe cum Patre, & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur; ait namque: Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres Unum ſunt. *Vid. luculentiſſimam in hunc locum Calmeti Diſſertationem. Nec in Africana tantùm, ſed & in antiquiſſimis, emendatioribus, & ad Apoſtolica ferè tempora pertinentibus Eccleſiæ Romanæ Codicibus verſiculum illum ſcriptum fuiſſe patet ex Caſſiodorii complexionibus, ubi Caſſiodorus in Epiſt. 1. Jo: hæc habet*: Teſtificantur in terra tria myſteria, aqua, ſanguis, & ſpiritus, quę in paſſione Domini leguntur impleta. In Cœlo autem, Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, & hi tres unus eſt Deus. *Siquidem Caſſiodorius vir erat in optimis Sacrorum Librorum exemplaribus deligendis accuratiſſimus, eorumque emendationem ex fontium etiam inſpectione acerrimè Monachis ſuadebat, eoſque hortabatur, ut antiquioribus, & accuratioribus manuſcriptis uterentur. Prætereà in omni librorum genere, maximèque in veterum Bibliorum manuſcriptis exquirendis curioſiſſimus erat, ut cap. 8. Divinarum Inſtit. oſtendit. Denique in conferendis inter ſe Bibliorum manuſcriptis, in corrigendis eorum defectibus, locisque obſcurioribus explicandis ſummoperè laborabat, ut in præfat. Divinar. Inſtit. teſtatur. Egregia plura in hunc locum animadvertit acerrimo vir ingenio, ad benè, ac celeriter cogitandum nato, & ad omnia ſtudiorum genera mirè verſatili Scipio Maffejus in præfat. Complexionum operi à ſe primùm edito præfixa, & in annot. ad pag. 125. Multa etiam addit Turnelyus in* Prælectionibus Theologicis de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis.

[64] *Inſignis eſt Auguſtini locus de hiſtoriæ utilitate lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 28. n. 43.* Quidquid igitur, *ait*, de ordine temporum tranſactorum indicat ea, quæ appellatur Hiſtoria, plurimùm nos adjuvat ad Sanctos Libros intelligendos .... nam, & per Olympiades, & per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur à nobis, & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum, quia per tot annos ædificatum Templum eſſe dictum eſt à Judæis, quod imaginem Dominici Corporis habebat. Et annorum ferè triginta baptizatum eſſe retinemus authoritate Evangelica; ſed poſtea quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipſo actionum ejus animadverti poſſit, tamen, ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de hiſtoria Gentium collata cum Evangelio liquidiùs, certiùſque colligitur. *Et infra n. 46.* De utilitate autem hiſtoriæ, ut omittam Græcos, quantam noſter Ambroſius quæſtionem ſolvit, calumniantibus Platonis lectoribus, & dilectoribus, qui dicere auſi ſunt, omnes Domini noſtri Jeſu Chriſti ſententias, quas mirari, & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didiciſſe, quoniam longè ante humanum adventum Domini Platonem fuiſſe negari non poteſt. Nonne memoratus Epiſcopus, conſiderata hiſtoria Gentium, cum reperiſſet, Platonem Jeremiæ temporibus profectum fuiſſe in Ægyptum, ubi Propheta ille tunc erat, probabilius eſſe oſtendit, quòd Plato potius

terit excogitare[65] Enimverò cum Phariſeos, exempli cauſa, toties in Evangelio nominatos reperiamus, hærebimus profectò, & in magna obſcuritate verſabimur, niſi Thalmudici, ceterique Judaicarum rerum Scriptores nos doceant, fuiſse hanc Hebræorum Sectam in Paleſtina præter ceteras dominantem, (66.) quæ non Sapientes duntaxat, Legiſque peritos, Scribas alio nomine dictos, ſed & univerſam ferè Populi multitudinem in ſuas opiniones pertraxerat, quæque futilibus Traditionibus, & commentitiis à Moſis uſque temporibus inaniter repetitis, (67) omnia Legis Scriptæ præcepta prorsùs labefactabat, (68) Pythagoreamque *metempſycoſin* ità tuebatur, ut maximorum quidem ſcelerum reos æternis pœnis addiceret, qui verò levioribus ſe criminibus obſtrinxiſsent, eorum animas affirmaret alia in corpora tranſeundo, temporarias ibi pœnas perſolvere. (69) Atque hinc planè cognoſcimus cur Chriſtus Dominus *irritum eos Dei mandatum feciſse propter Traditiones* affirmet, (70) cur illum Joannem Baptiſtam eſſe alii, alii Eliam, alii porrò Jeremiam, ſive unum ex Prophetis redivivum arbitrarentur, (71) cur denique diſcipuli Cæcum natum videntes, Divinum Magiſtrum interrogaverint, illene, an ejus Parentes peccaſsent: [72] ſuſpicari nimirùm ſunt potuiſse illi cæcitatem in eorum criminum pœnam, quę alio in corpore admiſiſſet, infligi. Samaritanos verò iiſdem è fontibus hauriemus, Traditiones omnes, atque univerſa Sacræ Scripturæ volumina præter quinque Moſis libros rejicere, (73) maximiſque olim conatibus obſtitiſse, ne Templum, Sanctæque Civitatis Mœnia poſt Babylonicam captivitatem iterùm extruerentur. (74) & proprium, ac peculiare Templum, Jeroſolymitano contempto, in monte Garizim habuiſse, (75) ubi Abraham, & Jacob ſacrum feciſse putabant, eorumque urbe Apoſtatas omnes Judæos, Legiſque violatæ pœnam fugientes tutiſsimum ſemper inveniſse perfugium, tantumque in eos ex his rebus odii, atque invidię excitatum, ut omne cum illis commercium publicè fuerit interdictum, nec majus ullum apud Judæos probrum inferri poſse crederetur, quàm ſiquem Cutheum, (76) aut Samaritanum vocarent. Quibus probè perſpectis clarè, dilucidèque percipimus, quò Samaritanæ cum Chriſto loquentis verba ſpectarent: *Patres noſtri in Monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet*, (77) cur Samariæ Cives Chriſti

noſtris literis per Jeremiam fuerit imbutus? *Jeremiæ quidem, ac Platonis tempora minimè congruunt; Nam ille obiit paulò poſt annum 587. ante Chriſtum, ut videre eſt apud Prideaux Judæor. hiſtor. 2. part. l. 2., hic verò, ut Laertius ait in ejus vita, natus eſt anno primo Olymp. 87., hoc eſt, anno 428. ante Chriſtum; undè inter Jeremiæ obitum, & Platonis ortum pluſquam 150. anni interfluxerunt. Verùmtamen hæc Ambroſii argumentum ex Platonis hiſtoria petitum minimè infirmant. Plato ſiquidem verè in Ægyptum profectus, plura ex Iudæis ibi degentibus, non pauca etiam, ex Ægyptiis Sacerdotibus Judaicarum rerum peritis potuit mutuari. Præterea judaica multa haurire potuit ex Pythagorica diſciplina, quam in Italia profeſſus eſt, & ex Philolai Pythagorici libris, quos Platonem emiſſe ait Gellius l. 3. c. 17. Pythagoram enim multa à Iudæis accepiſſe teſtatur ex Hermippo Ioſephus l. 1. contr. Appion. Origenes l. 1. contr. Celſ., & Clemens Alexandr. l. 1. Stromat., ubi etiam, eum in Ægypto fuiſſe circumciſum affirmat. Vid. Stanl. in Platon., & Pythagor. vita, Dacier Diſcours ſur Platon.*

[65] *Plura qui velit ad Sacræ Scripturæ intelligentiam pertinentia, adeat. Lamy in Apparatu Biblic.*

(66) *Ioſ. Antiq. XIII. 9. & 18. XVII. 3. & XVIII. 2. de Bell. Judaic. II. 12.*

(67) *Vid. Prid. ibid.*

(68) *Ioſ. Antiq. XIII. 18. & XVIII. 2.*

(69) *Ioſ. de Bell. Judaic. II. 12.*

[70] *Matt. XV. 6.*

(71) *Matt. XVI. 14.*

(72) *Io. IX. 1--2.*

(73) *Beniam. itiner. Hieronym. in Dial. adverſ. Lucifer. Epiph. hæreſ. 9.*

(74) *Ioſ. Antiquit. XI. 2. Eſdrat. IV. 5. 7--14.*

(75) *Joſ. Antiquit. lib. XIII. 8.*

[76] *Samaritani etiam Cuthei appellantur, quòd Rex Aſſyriorum, poſtquàm Samaritanos in Aſſyriam tranſtulit, Cutheos cum aliis Aſiæ Nationibus in Samaritanorum Regionem traduxerit. IV. Reg. XVII. 24.*

[77] *Io. IV. 20.*

Chriſti Nuncios recipere recuſaverint, *quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem*, (78] ad feſtum nempè Pentecoſtes celebrandum ; cur denique Judæi, cum ſe maximè à Redemptore averſos teſtari vellent, Samaritanum eum eſſe, ac Dęmonium habere exclamaverint; (79) .Quid ? cum Virginum parabolam legimus, ex quibus quinque acceptis lampadibus oleum ſecum non ſumpſiſſe, Sponſoque moram faciente, dormitaviſſe dicuntur, miſerèque à nuptiarum domo prohibitæ ;[80] Quid? cum Aſſertoris noſtri proximè cœnaturi caput, ac pedes pretioſo unguento perfuſos audimus, [81) eumque alibi maximis animi doloribus excruciatum ad Æternum Patrem *tranſeat à me calix iſte* clamantem: [82] quantam porrò hiſce rebus lucem afferri deprehendimus, ſi veterem Judæorum, Nationumque ad Orientem poſitarum diſciplinam, noſtris etiam temporibus obtinentem (83) noverimus, qua Sponſa ſeptimo à nuptiis die Conjugis domum deduci nocturno plurimùm tempore conſueverat, ejuſque Civitatis Virgines, undè Sponſus eſſet, honoris cauſa cum lampadibus obviam procedere ſolitas, (84) & priſcam fuiſſe conſuetudinem, ut extranei Convivę nudo capite, ac pedibus æquè, ac Judęi omnes, præter eam partem, quæ calceamentis tegitur, incedentes, unguentis jucundum odorem afflantibus perfunderentur, utque poculum vino plenum ſingulis in orbem porrigeretur, quique bibere nollet, *tranſeat à me calix*, pervulgatam excuſationis formulam pronunciaret. (85) Age verò cum ſe Apoſtolus ab *Jeruſalem uſque ad Illyricum Evangelium repleviſſe teſtatur*, (86) qua ratione perſpicere poſſumus, quæ ab ipſo Urbes Chriſtiana fuerint doctrina eruditæ, undè Eccleſias ab eodem fundatas probabili judicio cognoſcere valeamus, niſi compertum ſit nobis, quæ per ea tempora Illyrici appellatione loca comprehenderentur, quæque eſſent Regiones inter eam Provinciam, ac Jeruſalem interjectæ ? (87) Melite verò Inſulam: ad quam ex magna diuturnę tempeſtatis jactatione tandem evaſiſſe narratur, [88] haud quaquam illam eſſe Dalmatiæ finitimam, ut nonnulli arbitrantur, ſed porrò alteram nobiliſſimorum noſtris temporibus, ac fortiſſimorum militum ſedem, tutiſſimumque adverſus Barbaros propugnaculum, utriuſque ſitu cognito facilè intelligemus, cum & venti natura, qua navis impellebatur, & vię, qua Romam inde perrexit, conditio, manifeſtè demonſtrent, nullo modo Apoſtolum ad Inſulam in Adriatico Sinu poſitam appuliſſe. [89] Circumſpiciendum

autem

[78] *Luc. IX. 53.*

[79] *Io. VIII. 48.* Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei : Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? *Præter Samaritanos, ac Phariſæos, erant & Herodiani, de quibus alibi. Item Sadducæi, qui corporum reſurrectionem, Angelorum, atque animarum poſt mortem* exiſtentiam *negabant, nullum, præter Deum, ſpiritum admittebant, omnes traditiones, omneſq. Scripturas, exceptis quinque Moſis libris, reſpuebant, omnem Divinæ Gratiæ neceſſitatem ad rectè agendum negabant. Item Eſſenii, qui omnia ineluctabili fato tribuentes, omnem hominibus agendi libertatem præcidebant, à connubiis abſtinentes alienos tamen Filios adoptabant, duriſſimum, & perquàm auſterum vivendi genus ſequebantur, Animas quidem poſt mortem vivere vel æternùm beatas, vel æternùm damnatas, ſed nullam corporum reſurrectionem futuram arbitrabantur. Vid. Calmet Dictionar. Hiſtorie. Prideaux Iudæor. hiſtor. part. 2. lib. 5., ubi omnia ad varias Judæorum ſectas pertinentia enucleatè perſequitur.*

[80] *Matt. XXV. 1. & ſeqq.*

(81) *Jo. XII. 3. Marc. XIV. 3.*

(82) *Matt. XXVI. 39.*

[83] *Chardin itiner. Perſ.*

(84) *Vid. Calmet diſſert. de Matrim. Hebræor., & in hiſtor. vitæ Jeſu Chriſti.*

[85] *Vid. Calmet. in Vit. D. N. I. C.*

[86] *Rom. XV. 19.*

(87) *Vid. Tillemont. not. 18. Sur Saint Paul.*

[88] *Actor. XXVIII. 1.*

(89) *Nec obſtat, quòd D. Lucas Actor. XXVII. 27. D. Paulum in Adria naufragium feciſſe teſtetur, ſiquidem Adriæ nomine illis temporibus totum mare Italiæ proximum comprehendebatur. Vid. Tillemont. not. 63. Sur Saint Paul, Bochart in Chanaan lib. 1. cap. 26. ubi noſtram exquiſitis rationibus ſententiam confirmat.*

autem eſt diligenter, ne in Sacris Literis interpretandis immodico literalis, vel allegorici ſenſus amore rapiamur, ſed certum utriuſque rei modum, & auream quamdam in utroque genere mediocritatem teneamus; qui enim in alterutram partem nimiùm vehementes fuerunt, eos in funeſtiſsimos ſcopulos incidiſse Eccleſiaſtica Monumenta nos admonent. [90] Quamobrem ut certam in utroque viam perſequi, ac tenere poſſimus, neque in tam ſcopuloſo, difficilique itinere, & in tanta, tàmque periculoſa tenebrarum caligine offendamus, illud ſemper ante oculos poſitum habeamus, quod unum ex omnibus, quæ ſupra commemoravimus, maximè ad hanc rem neceſsarium cenſeri debet, atque omnium memoria penitùs inſidere, *nemini ſcilicet eſse permiſſum*, ut Synodus Tridentina [91] Summæ Rationis impulſu decrevit, [92] *Sacram Scripturam in rebus Fidei, & morum contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari*; etenim quæcumque hactenus vel attigimus, vel effudimus, tamdiu nos ad Sacrorum intelligentiam Codicum adjuvabunt, dum tutiſsimam hanc, optimamque regulam, tanquam fidiſsimum ducem ſequemur, à qua, ſi nobis nimiùm indulgentes, paululùm aberraverimus, in falſas profectò opiniones, erroreſque turbulentos, ac pernicioſos miſerè delabemur.

Verùm, cum non omnia Apoſtoli, quæ Divino præcipiente Magiſtro, Sanctoque Spiritu afflante, didicerant, literis conſignaverint, ſed plura etiam ſuos Diſcipulos verbis ſine ſcriptura docuerint, (93) à quibus alii eadem excipientes

(90) *Exemplo eſſe poteſt Origenes, cui* allegorica *Scripturas explicandi methodus adeò arriſit, ut totam Paradiſi hiſtoriam, integram ferè Legem Moſaicam, ac pleraque etiam Chriſti praecepta, & res geſtas* allegoricè *fuerit interpretatus. Papias contra, aliique veteres Patres, quadam Apocalypſis capitis* 20. *verba de mille annorum Regno ad literam intelligentes, in celeberrimum illum* Chiliaſmi *errorem inciderunt, &* Origenes *ipſe, neſcio quomodò, ſibi aliquando contrarius, ſuæque conſuetudinis immemor, Matthæi verba XIX.* 12. *prout ſonant accipiens, ſibi eas partes præcidit, quas aliquam libidinis ſuſpicionem injicere poſſe cenſebat.*

(91) *Seſſ. IV.*

[92] *Optima eſt ratio idipſum ſuadens, quia veteres Patres, quorum doctrinam Eccleſia conſervat, cum proximè ad Apoſtolorum tempora accederent, facillimè tenere poterant, quo ſenſu Sacri Scriptores ea, quæ ſcriberent, accepiſſent.*

(93). *Sacras, ac venerabiles Traditiones, quas præſens a præcedenti accepit Eccleſia, præcedens ab antiquiori, à vetuſtiſſima antiquior, ab Apoſtolis vetuſtiſſima, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Patre, ut ferè loquitur Tertullianus lib. de præſcript. æquè ac Sacras Literas, Divinam Authoritatem habere, vel hæc potiſſimùm Ratio demonſtrat, quòd utraque ab eodem fonte, à Chriſto ſcilicet, ad Apoſtolos, ab iiſque ad nos uſque profluxerint. Quòd autem Apoſtoli reipſa non pauca etiam oretenus tantummodò prædicaverint, eadem Ratio ſuadet. Primò quidem, quia vel iidem idipſum Apoſtoli affirmant*: Tenete Traditiones, *inquit Paulus II. ad Theſſal. c. 2. v.* 14. quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram, *& Jo: Ep. 2. v.* 12. Plura habens, vobis ſcribere nolui per chartam, & atramentum; ſpero enim, me futurum apud vos, & os ad os loqui. *Deinde Apoſtoli ex datis occaſionibus, quas refert Euſebius hiſtor. l. 2. & 3. Epiſtolas, atque Evangelia ſcripſerunt, ac de Joanne præſertim teſtatur Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ. uſque ad extremam ſenectutem prædicaſſe Evangelium, ac tandem ad illud ſcribendum ab Aſiæ Epiſcopis fuiſſe compulſum, ut graſſanti per ea tempora Ebionitarum hæreſi occurreret; unde conficitur, non omnia Apoſtolos, quæ à Chriſto audierant, literis tradidiſſe, cum illis neutiquam fuerint omnia ſcribendi occaſiones oblatæ. Præterea vel ipſi Codices Sacri à Traditione quodammodò pendent, nec enim qui, quotque ſint Sacri Codices, quiſque verus eorum ſenſus, cum multiplex, vel obſcurus occurrit, in Sacris Literis expreſſum habetur; idipſum etiam veteribus Eccleſiæ Patribus, atque Conciliis fuiſſe perſuaſum, ex eorum verbis, ac factis agnoſcimus, ut videre eſt apud Bellarmin. de Verbo Dei non ſcripto, Canum de Tradition. Juvenin. Inſtit. Theologic. Diſſert. 4. de locis Theolog. quæſt. 2. cap. 1. & ſeqq., Pouget Oratorii Gallicani Presbyter. in Catechiſm. Monspellier part. 1. ſect. 2. cap. 3., & part. 2. ſect. 2. cap. 2. Adde quòd vel ipſi divinarum Traditionum Oppugnatores, ex ipſa, quam profitentur, fide, ſacras traditiones admittere cogantur; Nam & contrà Helvidii errorem Mariam ſemper inviolatam Virginitatem*

Digitized by Google

plentes, ex iiſque iterum alii, per continuatam, nec unquam interruptam hominum, ac temporum ſeriem, quaſi per manus tradita, ad noſtra uſque tempora tranſmiſerunt, veteres quoque propterea Theologiæ ſtudioſis Traditiones eſſe explorandas Ratio certa nos monet, quamque priorum ſeculorum Eccleſiæ ſequerentur doctrinam, in primiſque quas *Matrices* appellant, [94] ſed, præter ceteras, omninò quid Romana Eccleſia, ceterarum omnium Magiſtra docuerit, inveſtigandum. Etenim Sanctiſsima earum teſtimonia, unaque omnium iiſdem in dogmatibus conſpiratio, & conſenſus certiſsimo nobis argumento eſſe debet, eamdem ab Apoſtolis doctrinam, proindeque à Chriſto Domino profluxiſse. Atque hæc eſt illa dogmatis, ac doctrinæ canities, quam apud Platonem Ægyptius ille Sacerdos in Rerum Divinarum cognitione commendat, quam nos idcircò veræ, ac Sanctiſſimæ Religionis vindices potiſsimùm perſcrutari, quam tueri, quam ſequi, quam amplecti debemus, eaſque opiniones Divina Authoritate firmatas exiſtimare, quæ quamdam veluti canitiem, certiſsimum veritatis indicium temporis diuturnitate contraxerint. (95) Id autem non alia via aſſequemur, ſi veram rationem exequi velimus, quàm ſi veteres priorum ſeculorum Hiſtoricos adierimus, ſi Conciliorum, ſi Patrum definitiones, atque ſententias, ſi antiquas Eccleſiæ *Liturgias*, [96] ſi tandem Summorum Pontificum pronunciationes ſectabimur, quorum graviſsimum apud omnes judicium eſse debet, longiſsimèque ab omni falſitatis ſuſpicione remotum. (97) Sed priuſquàm ad

D 3 Patrum

ſervaſſe Calviniſta, ac Lutherani fateatur, & contra Anabaptiſtas Baptiſmum Parvulis collatum valere, & contra Donatiſtas ratum eſſe Baptiſmum, qui ab Hæreticis, aliiſque impiis hominibus datur, cum tamen nullum extet hiſce de rebus in Sacris Literis verbum. Denique Ratio ipſa certiſſimas Regulas ab iiſdem Patribus etiam probatas ſuppeditat, queis vera à falſis, humana à Divinis, certa à dubiis, univerſales à particularibus Traditiones internoſcantur, quas apud eoſdem Authores invenies.

(94) *Tertull. lib. de præſcript., & Irenæus l. 3. adversùs hæret. cap. 2., & 3. ſacras Traditiones in iis Eccleſiis eminere docet, quas ipſi fundarunt Apoſtoli, in quibuſque Epiſcoporum ſeries interrupta non fuit; ſiquidem ubi Fidem ipſi Apoſtoli prædicarunt, ibi puram, integramque Chriſti doctrinam neceſſe eſt inveniri, niſi ab eorum ſucceſſoribus aliquo modo corruptam fuiſſe probetur.*

(95) *Quia Eccleſia, præterquamquod Divino Spiritu regitur, ut errare non poſſit, quò propiùs aberat ab Apoſtolorum temporibus, hòc meliùs, quæ ipſi promulgaverant, ſcire poterat.*

(96) *Etenim ex antiquis Eccleſiæ ritibus, & orationibus vera Eccleſiæ Fides manifeſtò deprehenditur. Præclarè de hoc argumento ſcripſiſſe Card. Bona, Boquillot. Tractat. hiſtor. de Liturg. Renaudot. de Liturg. Orient. Mabillon. Liturg. Gallican. &c. nemo eſt, qui ignoret.*

[97] *Summam eſſe in rebus Fidei, ac morum, Romani Pontificis, Patrum, Conciliorum, Eccleſiæque univerſę Authoritatem Ratio ſumma nos docet, non ideò ſolùm, quòd hoc affirmatum animadvertit in Sacris Literis, ac Traditionibus, quas Dei Verbum, ac proindè Veritatem continere cognovit, ſed ex peculiaribus etiam Rationum momentis idipſum confirmat. De Eccleſia quidem, quia fieri nequit, ut tàm multæ Nationes tàm variis moribus, inſtitutiſque viventes, nulloque inter ſe ſocietatis vinculo nexę in eadem Religionis doctrina conſentiant, niſi eam ab uno, eodemque fonte derivatam habuerint. Appoſitè Tertullianus libro de Præſcript.* Ecquid, *ait*, veroſimile eſt, ut tot, ac tantæ in unam fidem erraverint? Variaſse debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Ceterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum: *Quapropter Vincentius Lirinenſis Commonit. cap. 2. magnoperè in Eccleſia Catholica curandum eſſe præcepit*, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: *De Conciliis verò, quæ Generalia dicuntur, facilè oſtenditur; quia cum omnium Eccleſiarum Epiſcopi ad ea convocentur, ſuæ ſinguli Eccleſiæ Traditiones in medium proponunt, quibus inter ſe comparatis, quæ ſit totius Eccleſię Traditio certò deprehenditur. Patres autem ſeorſim quidquam in ſuis libris ſcribentes, quod ad Fidem, moreſque pertineat, fidem oppidò faciunt, ita eas, quibus præſidebant, vel in quibus vivebant, Eccleſias ſuis temporibus crediſſe, adeòque cum in eadem re, eadem mente, ac voce conſentiant, totius Eccleſiæ Fidem, nobis certiſſimè repręſentant. Quod verò ad Summum Pontificem attinet, cum ſola ex Apoſtolicis Eccleſiis Romana ſuperſit, in qua certa Epiſcoporum ſucceſſio ad hunc diem minimè interrupta ſervetur, cumque nullus ex Romanæ Urbis Epiſcopis Fidem ab Apoſtolis Petro, & Paulo primitùs implantatam depravaſſe legatur, palàm eſt, incorruptum ibi, ac ſincerum ſacræ Doctrinæ depoſitum cuſtodiri. Vid. Buffier Traitè des premiers Veritez &c. 1. par. cap. 23. de Temoignage transmis d' une Perſone a l' autre.*

Digitized by Google

Patrum ſententias exquirendas accedamus, ſingula eorum opera expendere oportet, ut eadem Ratione admonente docemur, & ſuppoſita, ac dubia à genuinis, atque legitimis eorum fœtibus ſecernenda, optimis ejuſdem Rationis regulis, queis vera, & falſa judicentur, adhibitis. Quamobrem, quæ rerum, vocabulorum, atque hominum, Scriptoris, cujus nomen præſefert liber, ætate recentiorum, meminerint, quæ fabulas, ineptaſque nugas ab ævi Apoſtolici, ejuſdemque Scriptoris ingenio, & gravitate abhorrentes continere ſenſerimus, quæ dictionem, ſtylumve longè diſſimilem, & dogmata iis planè contraria, quæ veris in operibus Author quis tradidit, referre noverimus, quæ Veteres pro falſis, & commentitiis damnarunt, quorumque apud eos nulla fit mentio, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoriam olim contexuerunt, ea pro fictis, atque ſuppoſitis, vel pro dubiis ſaltem, incertiſque habere debemus. Atque hoc nomine elegantiſſimum illud, magneque authoritatis, propter ſuam antiquitatem, Symbolum, puramque, atque integram exhibens dogmatum Chriſtianorum doctrinam, quod Athanaſii nomine inſcribitur, cum Eutychetis, ac Neſtorii hæreſim apertiſſimè impugnet, [98] cum nemo ex Hiſtoricis *Eccleſiaſticis*, qui primis ſeculis floruerunt, & ne Gregorius quidem Nazianzenus in oratione de Athanaſii laudibus ejus meminerit, (99) cum in antiquis, & fidei probatæ codicibus manuſcriptis penè omnibus Operum Athanaſii hoc Symbolum deſideretur, cum ipſe in ſua ad Antiochenſes Epiſtola, alienum ſe a nova Fidei formula condenda fuiſſe teſtetur, & Nicænę Synodi Symbolum numeris omnibus abſolutum eſſe contendat, cum denique omnia ejus græca exemplaria aliqua ex parte inter ſe diſcrepantia, latina verò mirificè congruentia inveniantur, (100] non magnum illum Athanaſium, [101] ſed Latinum quemdam poſteriorum temporum Authorem habere intelligimus; [102] ſimilique ratione opera omnia, quæ Dionyſio Areopagitæ vulgò adſcribuntur, quòd à nullo ex priorum quinque Eccleſiæ ſeculorum Scriptoribus

(98) Unus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ: *Vel unus hic verſiculus, quo Neſtorius rejicitur, duas in Chriſto Perſonas, & Eutyches unam in eodem Naturam agnoſcens, oſtendit, recentiorem eſſe Athanaſio Symboli hujus Scriptorem.*

(99) *Magnum etiam argumentum facit Cyrilli Alexandrini, Epheſinę Synodi, S. Leonis, & Concilii Chalcedonenſis ſilentium, à quibus profectò adversùs Neſtorianam, & Eutychianam hæreſim laudatum fuiſſet hoc Symbolum, ſi verum Athanaſii opus fuiſſet. Ad ſilentium Latinorum adversùs Græcos poſt Schiſma Photianum uſque ad Gregorii IX. tempora de Spiritus Sancti Proceſſione acerrimè diſceptantium. Etenim ſi Latini genuinum Athanaſii opus exiſtimaſſent, his armis contra Græcos pugnare non omiſiſſent, cum magna in utraque Eccleſia Athanaſius authoritate polleret. Primi tandem hoc argumentum adhibuerunt Gregorii IX. Apocriſiarii, poſtquam quingentis ferè annis hæc Controverſia viguiſſet.*

[100] *Laterem lavant, qui putant, Athanaſium potuiſſe latinam linguam addiſcere biennio, quo Treviris vixit, atque item dum Mediolani, Romæ, atque Aquileja profugus ageret. Non enim veroſimile eſt, Athanaſium admodùm ætate provectum, magniſque curis diſtentum voluiſſe peregrina lingua operam dare, cujus rei nulla erat neceſſitas, cum Romæ, & in Galliis multi eſſent, qui Græcum etiam ſermonem callerent; Et ut etiam demus latinè illum ſcripſiſſe, at ei tamen debuerat, ut in latina lingua planè Tyroni, aliquis* græciſmus *excidere.*

[101] *Vid. Godefridum Hermantium in obſervat. de Vit. S. Athanaſ, Voſſ. de trib. Symb., Uſſerium de eod. argum., Du-Pin Bibliot. Scriptor. Eccleſ. 4. Secul., Cave Scriptor. Eccleſ. hiſtor. ad ſeculum Arrianum, Natal. Alexand. hiſtor. Eccleſ. ſecul. 4. c. 6. &c.*

[102] *Symbolum hoc alii ab Euſebio Vercellenſi, alii ab Anaſtaſio Sinaita, quidam ab Anonymo Theologo Gallo Pipini, vel Caroli Magni temporibus editum conjecerunt; ſed probabilior videtur Queſnellii conjectura diſſert. 14. in opera S. Leonis Vigilio Tapſenſi hoc Symbolum tribuentis. Primò, quia Vigilius plura opera ſub Patrum, ac præcipuè ſub nomine Athanaſii ſuppoſuit; deindè quia ſuis in operibus Vigilius Eutychianos, ac Neſtorianos potiſſimùm aggredi conſueverat, quod & præſtat hoc Symbolum. Præterea, quia plures Vigilius Fidei profeſſiones ſub Athanaſii nomine concinnavit. Poſtremò Symbolum hoc ex Vigilii Tapſenſis contra Varimadum libro magna ex parte videtur exſcriptum, ubi, inter alias, hæ propoſitiones leguntur:* Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus.

Digitized by Google

ptoribus commemorentur, quòd iis ſententia quædam ex Divi Ignatii ad Romanos Epiſtola referatur, (103] quòd ibi de *Cathecumenorum Pœnitentium*, atque *Energumenorum* ab Eccleſiis excluſione, & extra fores, dum *Eucharistia* celebraretur, collocatione, deque aliis Ritibus à primi ſeculi, quo Dionyſius vivebat, uſu maximè alienis ſermo habeatur, & Arrianorum, recenriorumque temporum hæreſes convellantur, aut falsò Areopagitæ tributa, aut ſaltem vehementer dubia eſſe arbitramur. [104]

Videndum itidem qua occaſione Patres quid ſcripſerint, obiter ne, & quaſi aliud agentes, an data opera, alicujus rei tractationem ſuſceperint; utrùm ſuam ipſorum, an totius, an ſuæ tantùm Eccleſiæ ſententiam proponant, an ſuas opiniones, ut probabiles tantùm, an etiam ut neceſsarias habuerint, an, quæ juvenes ſenſerant, maturius, ac ſubtilius judicium adepti, mutaverint, ſive aliqua ex parte correxerint. [105] Conſiderare preterea oportet, aliud pondus habere PP. ſententias, ſi de rebus ad Religionem ſpectantibus, aliud, ſi de rebus ad Philoſophiam, ſive profanam Hiſtoriam, aliaſve res pertinentibus agant, aliud rursùs ſi plerique, aut omnes; aliud, ſi pauci, aut unus, vel alter, quid dicat; niſi in ea, quam tractat materia, ab Eccleſia fuerit approbatus; aliud iterùm ſi cui ceteri Patres opinioni adverſentur, aut nullum ea de re verbum habuerint: denique cogitandum, Patres, qui ante exortas Hæreſes ſcripſerunt, ſimpliciùs, ac proindè minùs cautè nonnunquam locutos: (106) nonnullos contra, in Hæreticorum erroribus impugnandis, iis interdum vocibus uſos, quæ in ſpecie oppoſitis erroribus favere viderentur. [107] Ceterum ſi quando ab alicujus Patris ſententia quis cogatur diſcedere, magnam adversùs tantos viros reverentiam adhibendam eſse meminerit, omnique cura, ac diligentia provideat, ut moderatè id efficiat, ut verecundè, ut modeſtè, ut prudenter, reque penitùs perſpecta, & cognita, ne temerè quidquam aliquandò condemnet, quod nondum intelligit; quodque ab Auguſtino, [108] ac Divo Thoma factitatum ſæpe-

numerò

[103] *Omnes ferè antiqui Scriptores Dionyſium Areopagitam ſub Domitiano ante annum Christi 98. obiiſſe teſtantur; Ignatius verò ſuam ad Romanos Epiſtolam poſt annum 106. conſcripſit.*

(104) *Plura qui velit adeat Philippum Labbeum Diſſert. hiſtor. de Scriptor. Eccleſ. Oudin. commentar. de eod. argum. Du-Pin Bibliot. Author. Eccleſ. ſecul. 1. Nourry Diſſert. de operibus S. Dionyſii, Habertum in Archieratice, Launojum in opuſcul. de duob. Dionyſiis, Morin. de Sacris Ordinat. Schelſtrat. 2. part. antiquit. illuſtr. Chiflet. Diſſert. ſingular. de hoc argum. &c.*

(105) *Vid. Librum, cui titulus:* Petit Traitè de la lecture des Peres de l'Egliſe, *Mabillon.* de Studiis Monaſtic. *Can.* de Sanctor. Authorit. *qui cautiones in Patribus legendis adhibendas recenſent.*

[106] *Etenim ſecuri ſcribebant, cumque ſanam animo doctrinam tenerent, parùm erant ſolliciti quibus eam verbis exponerent. Ubi verò Hæreticorum inſania Eccleſiæ pax inſolenter turbari cœpit, cautiores in ſcribendo fuerunt, unde ſummà Dei Providentià factum eſt, ut veritate accuratiùs, vel exquiſità, vel explicatà maximum ex malo ad Catholicam Fidem bonum derivaretur.* Plurimùm proſunt [*Hæretici*] *ait Auguſt. de Ver. Relig. cap.* 8. non verum docendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando ..... utamur ergo etiam Hæreticis, non, ut eorum approbemus errores, ſed ut Catholicam, Diſciplinam adversùs eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores, & cautiores ſimus; *Et lib.* 16. *cap.* 2. *de Civit. Dei:* Multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur, & ab Adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio. *Denique lib. de Dono Perſeverantiæ cap.* 20. Didicimus, *inquit*, ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret.

(107) *Sic qui contra Sabellianos ſcribebant aliquando viſi ſunt Divinarum Perſonarum* conſubſtantialitatem, *pro qua reipſa propugnabant, deſtruere.*

(108) *Optimum nobis modeſtiæ exemplar proponit Auguſtinus, qui lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 2. ſic de Cypriano circa* rebaptizationem *errore loquitur:* quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantùm valeo perſolvens pacifico Epiſcopo, & glorioſo Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter ſenſiſſe de Schiſmaticis, vel Hæreticis rebaptizandis, quàm poſtea veritas prodidit, non ex mea, ſed ex univerſæ Eccleſiæ ſententia plenarii Concilii authoritate roboratà, atque firmatà.

Digitized by Google

numerò legimus, mitiorem in partem Sanctorum Patrum dicta potiùs interpretemur, quàm ullam iis erroris, pravæque opinionis notam cenſoria ſeveritate inuramus, ſemperque animo ſapientiſsimum Hilarii monitum obverſetur: *ne damnemus, ne animemus Hæreticos, ne, dum hæreſim expellimus, hæreſim nutriamus* [109]

Ut verò Conciliorum mens probè nobis perſpecta eſse poſſit, hæc ſunt præcipua ſolertiſsimæ Rationis præcepta, quò intueri, quò curſum noſtrum dirigere omninò debemus, ut videlicèt diligenter exquiramus, quo tempore, ac loco, quam ob cauſam, cujuſque Authoritate fuerint congregata, liberamne ferendi ſuffragii poteſtatem cujuſque Concilii Patres habuerint; qui forent Hæreticorum ſenſus, quos ſibi damnandos propoſuerunt, omniumne Eccleſiarum, an alicujus dumtaxat Nationis, Provinciæque Epiſcopi ad ea fuerint convocati, eorumne ſanctiones ab Apoſtolica Sede confirmatæ fuerint, vel improbatæ, ac rejectæ; tota denique eorum hiſtoria penitùs pernoſcenda, quamque aliquibus verbis notionem cujuſque Concilii Patres ſubjectam eſse voluerint, ne aliquandò ſibi invicem adverſari videantur, cum alibi interdictum deprehenditur, quod aliis temporibus fuerat imperatum, cumque unum, idemque vocabulum ab una Synodo uſurpatum, ab alia, novis ſubindè emergentibus cauſis, vel omninò rejectum, vel alio ſenſu adhibitum animadvertimus. [110] Nam, quod Gelaſius propter Manichæos præceperat, (111) ut omnes ſub utraque ſpecie *communicarent*, id Synodus Conſtanſienſis, Baſileenſis, ac Tridentina præcipuè (112) propter recentiores Hæreticos vetuit, & Nicænæ Synodi Patres (113) *reconciliationem* ultimum *Viaticum* appellarunt, cum noſtris temporibus Sacra *Eucharistia* dumtaxat hoc nomine ſignificetur, & Concilium Antiochenum *Conſubſtantialis* vocem ad ſenſum Pauli Samoſatenſis rejecit, [114] eamdemque Nicæna Synodus in ſua vera ſignificatione conſultò uſurpavit, & *Hypoſtaſis* nomen ante Concilium Nicænum perraró Patres ad Perſonam, ferè ſemper ad ſubſtantiam ſignificandam adhibuerunt, (115) & Sancti Eccleſiæ Græcæ Doctores, abſque ullo Fidei Catholicæ detrimento, Patrem Spiritus Sancti *Cauſam*, quem Latini omni tempore *Princi*-

pium

---

(109) *Hilar. in fin. libri de Synodis.*

(110) *Vid. librum, qui inſcribitur*: Traitè de l' etude des Conciles, & des leurs Collections.

(111) *Manichæi dicebant, Vinum eſſe fel Principis tenebrarum, & à Diabolo creatum, undè* communionem *ſub utrâque ſpecie ſumere recuſabant, ut teſtatur Leo Magnus Serm. 4. de Quadrageſ., ut igitur Manichæi ſub Catholico nomine latitantes detegerentur, Gelaſius apud Gratian. de Conſecr. diſt. 2. Can.* Comperimus, *juſſit, ut ab omnibus utraque ſpecies acciperetur. Vid. Baron. ad ann. 496. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. c. 18. Pag. Breviar. Pontific. Roman. in vita Gelaſii.*

(112) *Concilium Conſtanſienſe Seſſ. 13. Baſileenſe Seſſ. 30. Tridentinum Seſſ. 21. maximè adversùs eos, qui Divino præcepto Chriſtianos ad utramque ſpeciem ſumendam obligari dicebant. Vid. Boſſuet hiſtor. variat. tom. 3. lib. 11. lib. 14. & 15. Pallavic. hiſtor. Concil. Trident. præcipuè lib. 6. cap. 18. & lib. 17. cap. 1. & 6.*

(113) *Can. 13. Concil. Nicæn. Vid. Lup. Albaſpineum, & Van--Eſpen. in not. ad hunc Can.*

(114) *Athanaſius in lib. de Synod. Ariminenſ. & Seleucienſ. apud Petavium de Trinit. lib. 4. cap. 5. teſtis eſt Paulum Samoſatenum, qui Chriſtum aſſerebat minimè ab æterno Deum extitiſſe, ſed in tempore, eo uſum argumento*, quod ni ita eſset, conſequens foret, illum eſſe Patri Conſubſtantialem, adeòque tres eſse ſubſtantias, unam primariam, duas ex illa derivatas; *ſic enim* Homouſion *interpretabatur, quod in rebus creatis, & corporeis uſuvenit, ut ab una aliqua ſubſtantia diverſa, & ſeparata altera propagetur, quemadmodùm nempè homo ab homine generatus ejuſdem ſpeciei dicitur, eique* conſubſtantialis, *ideò Patres Antiocheni Concilii decreverunt, Filium non eſſe* Homouſion *Patri, eo videlicet ſenſu, quo Paulus Samoſatenus id intellexerat.*

(115) *Quapropter Concilium Sardicenſe apud Theodoret. l. 2. hiſtor. c. 8. ait hæreticum eſſe tres* Hypoſtaſes *in Deo aſſerere, ſi nomine* Hypoſtaſis *natura, ſive* eſsentia *intelligatur; & quibuſdam Patribus ſuſpectum id vocabulum videbatur, ut videre eſt in duabus epiſtolis Hieronymi ad Damaſum de Hypoſtaſ., inq. Orat. Gregor. Nazianz. de laudib. Athanaſ. quia nimirùm ad ſubſtantiæ ſignificationem trahi poterat.*

pium eſse dixerunt, (116) & *Imaginis* verbum, quo Conſtantinopolitanum Concilium, etiam cum de *Eucbariſtia* ageretur, uſum eſse comperimus, (117) periculum eſset, ſi noſtris temporibus adhiberetur, ne eo Calviniſtæ contrà Catholicos abuterentur, illudque ad impios ſuarum Hæreſum ſenſus accomodarent.

Denique, ne longiori vos oratione detineam, verè hoc mihi videor eſſe dicturus, neminem ſanè poſse Conciliorum, & Patrum, Summorumque Pontificum ſententias perfectè intelligere, niſi omnia preteritarum rerum, cùm profana, tùm Eccleſiaſtica Monumenta explorata inveſtigatione comprehenderit, animumque, & cogitationem ad antiquiſsima illa tempora transferat, ſibique ante oculos veterum Populorum mores, tanquam præſentes proponat, & contempletur. Quis enim ſupplicem Sophronii libellum Patribus Chalcedonenſibus oblatum intelliget, quo Agoraſtum Dioſcori Alexandrini *Syncellum* teſtem adversùs illum adhiberi petebat? [118] Quis Auguſtinum, cùm Legis tabulas *lapideum Diptycbium* appellat? (119) Quis Cyprianum cum *pedes ab aureis compedibus liberos eſse debere* pronunciat? (120) Quis Tertullianum, cum *præſtare*, ait, *in ardore*, & *algore rigere nudipedem*, *quàm in calceo uncipedem*; (121) cum *Lazari animam*, *quam nemo lineis vinculis ſtrinxerat*, *incorruptam reſurrexiſse* confirmat; [122] cum denique de Circi ſpectaculis loquens, Populum avidiſsimè mappam expectantem proponit; [123] niſi exploratum habeat, *Syncellos* olim fuiſse appellatos, qui in eadem cum Epiſcopis cellula, tanquam privatæ eorum vitę, actionumque omnium teſtes, commorabantur, [124] & *Dyptica* Conſularia ex duabus eburneis tabulis fuiſse compoſita, quæ exiguis cardinibus necterentur, ut claudi, atque aperiri facilè poſsent, in iiſque poſteà ad ſacros uſus converſis Epiſcoporum, Sanctorumque Hominum nomina fuiſse deſcripta, atque aureos olim circulos Mulieres pedibus ad ornatum circumdare ſolitas, Romanoſque per Urbem calceos in anteriori extremitate uncinatos adhibuiſse, eamque conſuetudinem priſcis temporibus fuiſse uſurpatam, ut Conſules, aliique Magiſtratus, mappam è manibus projiciendo, ſignum ineundi certaminis darent, utque mortuorum cadavera, perinde ut Infantes, faſciarum involucris implicarentur. (125)

Quid

[116] *Hac leguntur in Beſſarionis declaratione apud Florentinæ Synodi Patres expoſita Tom. 13. Concil. Labbean. Collection. Lutetia Pariſior. Edit. ann. 1672. pag. 455. & 456.* Notandum primò, quòd Sancti Doctores Orientales etiam in Divinis utuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo, non quidem ut limitationem, & dependentiam importat, ſed prout productionem, & emanationem à principio, ejus, quod eſt à principiò, ſignificat.

[117] *Vid. Juvenin. Comment. de Sacram. Diſſert. IV. quaſt. 4. c. 2. art. 1. ſed longè clariùs de* Imaginis *verbo à Patribus Conſtantinopolitanæ Synodi adbibito agit liber, cui titulus*; Perpetuitè de la Foy de l' Egliſe Catholique touchante l' Euchariſtie, *præcipuè part. 3. cap. 4.*

(118) *Act. 3. Concil. Chalcedon.*

(119] *Contra Fauſtum lib. 15. cap. 4.* In illo Diptychio lapideo, jam tu non corde lapideo intelligis, quid duro illi Populo congruebat.

(120) Sint à compedibus aureis pedes liberi *Cyprian. de diſcipl. & habit. Virgin.*

[121] *De Pall. Cap. 5.* Calceos nihil dicimus proprium togæ tormentum, immundiſſimam pedum tutelam, verùm & falſam. Quem enim non expediat in algore, & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo uncipedem.

(122) *De Reſurrect. cap. 53.* Sed enim in Lazaro præcipuo Reſurrectionis exemplo caro jacuit in infirmitate, caro penè computruit in dedecorationem, caro interim putruit in corruptionem, & tamen Lazarus caro reſurrexit cum anima quidem, ſed incorrupta, quam nemo vinculis lineis ſtrinxerat, nemo in Sepulchro collocarat.

[123) Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni ſpectaculo auferimur, etiam in Circo, ubi propriè furor pręſidet. Aſpice Populum ad id Spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuoſum, jam cæcum, jam de ſponſionibus concitatum. Tardus eſt illi Prætor, ſemper oculi in urna ejus cum ſortibus volutantur. Dehinc ad ſignum anxii pendent, unius dementiæ una vox eſt. Cognoſce dementiam de vanitate. Miſit, dicunt, & nunciant invicem, quod ab omnibus viſum eſt. Teneo teſtimonium cæcitatis, non vident miſſum quod ſit, mappam putant, ſed eſt Diaboli ab alto præcipitati figura.

[124] *Vid. Thomaſſin. Diſciplin. Eccleſ. part. 1. l. 2. cap. 100.*

[125] *Vid. eruditiſſimum vetuſtatis exploratorem Philippum Bonarrot. in animadverſionibus ſuper quibuſdam vitreorum vaſorum fragmentis pag. 34. 50. 100. 234. 250.*

Quid de Vetetibus Sacrorum Canonum Sanctionibus dicam, quibus interdictum accepimus, *ne quis abſolutè ordinetur, niſi in Eccleſia Civitatis, vel Pagi, vel Martyrio, vel Monaſterio ſit deſignatus.* [126] *Ne Sancta ſolemnibus Paſchatis diebus in alias Parochias mittantur.* (127) *Ne Mulier audeat, propter eam, quæ exiſtimatur, pietatem, comam tondere.* (128) *Ne cui Interceſſori licitum ſit Cathedram, cui Interceſſor datus eſt, quibuslibet Populorum ſtudiis, vel ſeditionibus retinere?* (129) Quàm prompta, quàm facilis, quàm expedita harum rerum occurret interpretatio, ſi *Martyrium* Ædem Sacram intelligendam eſſe noverimus, Deo ſub *Martyris* cujuſdam nomine conſecratam, Monachoſque prioribus Eccleſiæ ſeculis, cum plerùmque Sacris Ordinibus minimè initiarentur, ſed in populari, profanoque ſtatu ſe continerent, Presbyteris, qui rei Divinæ, ceteriſque ſacris muneribus in Monaſteriis operam darent, indiguiſſe, [130] ſi didicerimus à primaria plurium Civitatum, ac præcipuè Romanæ Urbis Eccleſia *Eucharistiam* Diebus Dominicis ad ſingulas *Parochias* mitti conſueviſſe, ut omnes, qui ab uno regebantur Epiſcopo, ſe unicum cum ipſo corpus efficere admonerentur, [131] idque, ob eam fortè cauſam, *Paſchalibus* Diebus fuiſſe prohibitum, quòd eo tempore Presbyteros omnes Epiſcopo Sacrum facienti adſtare oporteret, cumque ipſo secundùm uſitatum ritum Divina celebrare Myſteria, [132] ſi exploratum habeamus, nuptias olim Euſtathianos damnaſſe, quique Matrimonium contraherent, omnem iis Æternæ Beatitudinis ſpem ademiſſe, eorumque Sectæ mulieres, ut ſe Matrimonii jugum excuſſiſſe ſignificarent, ſibi comam amputaviſſe, [133] & Epiſcopum, qui *Interceſſor* appellabatur, Eccleſiæ Paſtore ſuo deſtitutæ à Metropolitano fuiſſe præpoſitum, qui Civium animos ad novum Antiſtitem concordi voluntate, & ſine cunctatione eligendum adhortaretur. (134) Quod

(126) *Can. 6. Concil. Chalcedonenſ.*

(127) *Can. 4. Concil. Laodicen.*

(128) *Can. 17. Concil. Gangrenſ.*

[129] *Can. 9. Concil. Carthaginenſ.*

[130] *Vid. Thommaſin. Diſcipl. Eccleſ. part. 1. lib. 2. c. 92. & lib. 3. c. 12. & ſeqq. Van.-Eſpen in Can. 6. Concil. Chalcedonenſ. Lupum in eumdem can. ubi oſtendit potuiſſe quem quinque modis ad* Monaſterium *ordinari.*

(131) *Vid. Eſpen in can. 14. Concil. Laodicen. Marten. de antiq. Eccleſ. ritib. part. 1. lib. 1. c. 5. art. 4. ubi etiam* Epiſcopos *narrat*, olim ſibi invicem in ſignum unitatis, & benevolentiæ Euchariſtiam tranſmittere conſueviſſe, qui uſus non ſolùm apud Epiſcopos viguit, ſed etiam apud Monachos, *Et ibid. par. 1. l. 1. c. 3. art. 8.* Presbyteris, *inquit*, olim una cum Epiſcopo concelebrare haud infrequens erat. Et certè cum unicum olim in Eccleſiis paſſim eſſet Altare, & alioqoin Presbyteris eo in Altari, in quo Epiſcopus ſacrum fecerat, eodem die celebrare eſſet illicitum, eos aut omninò à ſacrificio abſtinere, aut Epiſcopo celebranti concelebrare neceſſe erat. Hic ritus, qui hactenus apud Græcos ſervatur, in utraque Orientali, & Occidentali Eccleſia per annos circiter mille, & trecentos, planè communem extitiſſe plurima monſtrant argumenta.

[132] *Vid. Natal. Alex. hiſtor. Eccleſ. ſecul. 4. cap. 3. art. 10. Van-Eſpen in Can. 17. Concil. Gangren. Baron. in not. ad Martyrolog. Roman. die 20. Septemb. ubi erudita diſſert. demonſtrat, quàm turpe olim eſſet mulieres tonderi, ac decalvari, quàm honeſtum è contrario, quàm laudabile, quàm religioſum noſtris temporibus Virgines Deo conſecratas ſibi comam præcidere*; tam enim, *inquit*, apud Gentiles, quàm apud Chriſtianos probavit uſus, ut quæ opinione hominum viderentur contemptibilia, ac ludrica, ſi Religionis cauſa fierent, non tantùm honeſta, ac digna, verùm etiam Sacroſancta haberentur, ut Sanctus Ambroſius pluribus diſputat in Ep. 30. ad Sabinum lib. 6. edit. Rom. unde & Gentiles etiam ſuas Veſtales Virgines tondere conſueverunt, ut ſcribit Plinius lib. 15. c. 44. ..... Ex his quidem manifeſtum eſt, Sanctam Synodum, (*Gangrenſem*) non in Sacratas, Deo dicatas Virgines, ſed in hæreticas mulieres viros relinquentes Anathematis ſententiam tuliſſe, ſieque alia ejuſdem Concilii paradoxa ad hiſtoriæ veritatem ſunt referenda, ut eorumdem Canonum ſenſus legitimus habeatur.

[133] *Vid. Eſpen. in Can. n. 9. Concil. Carthagin.*

[134] *Idipſum in Epiſcoporum, ac Presbyterorum* Ordinatione *antiquitùs uſurpabatur; ſiquidem Epiſcopus Conſecrator Epiſcopo, vel Presbytero recèns conſecrato integram, ſatiſque magnam Hoſtiam præbebat, cujus portionem per quadraginta continuos dies novus Epiſcopus, vel Sacerdos, priuſquàm* Communionem *in* Miſſa *ſumeret, cum pretioſo Sanguine commiſcebat, ut ſuum idem eſſe, atque Epiſcopi, unde* Ordinationem *receperat, Sacrificium oſtenderet. Vid. Mabillon. Comment. Sur l' Ordre Romain. art. 6. n. 1. & 2.*

Quod verò ad Hiſtoricos attinet, quantùm cuique tribuere debeamus, ex ejus charactere potiſsimùm æſtimandum eſse Ratio ipſa ſuadet, proptereaque cujuſque naturam, ingenium, doctrinam, vivendique rationem, & quo loco, ac tempore vixerit, quibuſque muneribus fuerit implicatus accuratè eſse expendendum; nam ut quiſque loco, ac tempore, quo res geſta eſse dicitur, proximior eſse probatur, eò major, ceteris paribus, eſt illi fides habenda, quique nullam odii, aut gratiæ ſuſpicionem præſeferunt, iis, qui aliquo partium ſtudio tenentur, & ſapientes illiteratis, & qui ſincero, prudentique judicio pollent ſuperſtitioſis, ac nimiùm credulis præponendi. (135)

Quapropter ex iis verbi cauſa, qui de Senenſi Concilio loquuntur, Franciſco Thommaſio ejuſdem temporis, ac loci Scriptore potiſsimùm ego credendum exiſtimaverim, qui eam ob cauſam Synodum diſsolutam fuiſse teſtatur, quòd Alphonſus Neapolitanorum Rex ad Pſeudo-Pontificem reſtituendum Concilii Patres adigere moliretur, [136] iis omninò neglectis, qui cum ex eadem Civitate non ſint, ætate verò longiſsimè poſteriores, vel peſtilentiæ approximantis metum, vel inteſtinos Concilii tumultus, vel Senenſes Magiſtratus Synodi libertatem infringere connitentes, diſsolvendi Concilii cauſam præbuiſse contendunt. [137]

Ubi ea omnia humana Ratio paraverit, quæ ad Sacrorum Codicum ſententias, & veteres, certas, atque conſtantes totius Eccleſiæ Traditiones planè aſſequendas, vel omninò neceſsaria, vel utilia ſaltem, maximèque accomodata cognovit, in hoc uno ſe exerceat oportet, in hoc evigilet, in hoc laboret, in hoc omni cura, & cogitatione incumbat, ut quæ Sacris Literis, quæ Conciliis, quę Patribus, quæ Summorum Pontificum definitionibus, ceteriſque Eccleſiaſticis Monumentis continentur, accuratè, ac diligenter exploret, atque aſsidua inveſtigatione ſingula perſcrutetur.

Verùm illud nunquam ſatis inculcatum, atque omnì tempore etiam, atque etiam inculcandum ſemper in promptu ſitum, ſemperque ſibi propoſitum habeat, quod penitùs omnium animis infixum hęrere debet, quodque toto pectore amplectendum eſt, atque aſsidua cogitatione verſandum, ut videlicèt quodcumque ex iis fontibus divinitùs *revelatum* agnovit, illicò faſces Divinæ Authoritati ſubmittat, ſuiſque viribus nimiùm, eheu nimiùm debilibus, atque infirmis omninò diffiſa, Veraciſſimi, ac Potentiſsimi Numinis dictis conſtanter, animoſèque adhęreſcat: *Fides enim in Deo*, ut Apoſtolus docet, *deſtruit omnem altitudinem extollentem ſe adversùs Scientiam Dei, & in captivitatem redigit omnem intellectum in obſequium Chriſti*. [138]

Hoc

(135) *Vid. Mabillon* de ſtudiis Monaſticis, *& Librum, qui inſcribitur*: La Methode pour etudier la Theologie, *ibi enim non Hiſtoricorum tantùm, ſed Scriptorum etiam præcipuorum, queis Theologus uti debet, Catalogus invenitur*.

[136] *Franciſcus Thommaſius hæc habet in* Adjecto *manuſcripto ad hiſtoriam Joannis Thommaſii* — Nam Alphonſus Aragonius Neapolitanorum Rex, Martino inſenſus mediis quibuſdam, artibuſque Petri Lunæ, Benedicti quondam XIII. cauſam reſtituere tentabat, quod cum per Coloniæ Archiepiſcopum Pontifici denunciatum fuiſset, placuit ipſi, approbatis, quæ pridem acta fuiſsent, Concilium diſsolvi.

[137] *Vid. Odoric. Raynald. Annal. Eccleſiaſticor. tom. 18. ad annum 1423. n. 3. & 10. & ad annum 1424. n. 6. & Battaglin. de Concil. Baſileenſ. ad annum 1423. n. 5. Verùm ibi parùm feliciter injuriam Senenſibus Magiſtratibus illatam refellit, quos ambitionis accuſat, cum ab avaritiæ ſuſpicione vindicare conatur. Ait enim, propter ſpectatam Senenſium ergà Eccleſiam pietatem, incredibile eſſe ideò Concilium fuiſſe dimiſſum, ut aliqui dictitabant, quòd Senenſes Magiſtratus, ne ſuarum mercium vendendarum opportunitatem amitterent, Synodi Patres ex Urbe excedere prohiberent, ſi quando aliqua neceſſitate compulſi diſcedere vellent; itaque id potius eſſe tribuendum affirmat ſummo deſiderio, quo tenebantur, ut Concilium in Senenſi Urbe perficeretur, unde magna illi honoris facta fuiſſet acceſſio. Nemo non videt paris eſſe impietatis Concilii Patrum libertatem infringere, ſive compendii, ſive gloriæ id cauſa efficiatur. Eadem ergo pietas, qua immodicum lucri amorem ab animis Senenſium prohibuit, debuit profectò & intemperantem glorię cupiditatem arcere*.

(138) *II. Corint. X. 5.*

Hoc tamen non eò pertinet, ut cœleſti *Revelatione* perſpecta omninò Ratio fieri debeat, atque ita ſe abdere, ac receptui quodammodò canere, ut nunquam ei liceat cum Divina Authoritate, veluti conſpiratione facta, concinere, ejuſque Aſſertiones, quantùm in ipſa eſt, confirmare. Quod, ut explicarè, ac diſtinctè percipi poſſit, animadvertere oportet tria omninò genera rerum eſſe, quas Chriſtiana nobis Religio credendas proponit. Aliæ namque ejuſmodi ſunt, ut naturali etiam lumine cognoſcantur, humanaque ratione probari poſſint, veluti Dei *exiſtentia*, ejuſque Attributa, ac pleraque moralia principia: aliæ, quæ naturali quidem lumine percipi nequeunt, verùmtamen maximè poſſibiles eſſe, veroque ſimillimę intelliguntur, qualis eſt ęterna Beatorum felicitas, locuſque aliquis ſempiternis Impiorum ſuppliciis conſtitutus; alię demùm, quæ non ſolum naturali ratione attingi non poſſunt, verùm & ipſi quammaximè in ſpecie oppoſitæ, & prorsùs adverſantes videntur, cujus generis eſt, *Prædeſtinationis*, *Trinitatis*, *atque Incarnationis* Myſterium.

Quod ad priores attinet, dubitandum non eſt, quin permiſſum ſit nobis, imò & perutile, ac maximè neceſſarium Rationem ad eas confirmandas adhibere, eamque cum Fide tanquam fidiſſimam ſociam conjungere; (139) quæ verò alterius ſunt generis, de earum veritate, ac falſitate Ratio non judicat, ſed probabiles duntaxat, ac poſſibiles percipit; cumque divinitùs *revelatas* cognoſcat, facilè ad eas credendas, atque amplexandas inducitur. De poſtremis autem id unum operis, ac muneris ſibi relictum ſentire debet, ut Sacris Literis, ac Traditionibus exploratis, verène *revelatæ* ſint perpendat, atque inveſtiget; ubi verò de veritate *Revelationis* exploratum habet, ſuę infirmitatis, ſummæque Dei Veracitatis, atque Potentiæ memor, Divinæ ſe Authoritati penitùs addicere debet, ac mancipare. [140]

Quod ha-

[139] Corrige definitionem tuam, non ut Fidem reſpuas, ſed, ut ea, quæ Fidei firmitate jam tenes, etiam rationis luce conſpicias, *Auguſt. Ep. 120. ad Conſent.*

[140] Ubi ad Divina perventum eſt, avertit ſeſe (*Ratio*), intueri non poteſt, palpitat, æſtuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum ſuarum, non electione, ſed fatigatione convertitur. *Idem de morib. Eccl. c. 7. Poteſt tamen humana Ratio ex Fidei articulis certas concluſiones elicere, ex duabus nempe propoſitionibus* revelatis, *quarum inter ſe connexum agnoſcit, quamvis earum veritatem nequaquam percipiat, ſive etiam ex duabus propoſitionibus, quarum altera* revelata *ſit, altera naturali lumine nota; v. g.* Homo conſtat ex Anima, & Corpore; Chriſtus eſt Homo, ergo Chriſtus conſtat ex Anima, & Corpore. *Prior propoſitio evidens eſt, altera Fidei lumine cognita, quarum nexum cum tertia Ratio perſpiciens, ejuſdem tertia veritatem affirmat. Cum propoſitio lumine rationis perſpecta, ita evidens eſt, ut, nonniſi vocabuli, quod* revelata *propoſitione continetur, explicationem complectatur, cumque concluſio clara eſt,* immediata, *communique omnium ſenſu recepta, ut in propoſito exemplo contingit, sane illa concluſio ad Fidem dicitur pertinere; At, quæ ex obſcura, incertaque propoſitione, vel longè nimis per plurium ratiociniorum ſeriem petita eſt concluſio, utpote cum ibi Ratio facilè decipi poſſit, nullo pacto ad Fidem ſpectare credenda eſt. Monendi tamen hic ſumus, quòd minimè ſufficit ad credendum, Deum ab humana Ratione ſummè Veracem agnoſci, niſi mentes noſtra cœleſti luce colluſtrentur, divinoque afflatu voluntas excitetur, ut iis, quæ à Deo* revelata *ſunt, aſſentiatur, ſicut ad benè agendum ſatis non eſt actionis cujuſdam bonitatem agnoſcere, meliora enim tametſi videamus plerùmque, ac probemus, ad deteriora tamen, naturalis ad malum proclivitatis impulſu ſemper delabimur, niſi Gratia victrix à malo nos retrahat, & rebelles noſtras voluntates ad bonum ſuaviſſima quadam ejuſdem boni delectatione compellat.* Etiam voluntas, quâ credimus, *ait Auguſtin. de Spirit. & liter. cap. 34.* dono Dei tribuitur, quia de libero exiſtit arbitrio, quod, cum crearemur, accepimus, attendat, & videat, non ideò tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verùm etiam, quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata Legis aliquid agunt, ſi ad hoc admoneant hominem infirmitatis ſuæ, ut ad Gratiam juſtificantem credendo confugiat, ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. *Plura de cœleſtis auxilii ad credendum neceſſitate habet Huetius de Concord. Ration. & Fid. ubi tamen, ſi modò adversùs tanti Viri opiniones ſine arrogantiæ nota quidquam ſentire licet, plus nimio Rationis pondus extenuare videtur, viam*

Quod hactenus de Rationis uſu diſputatum à nobis eſt, de Philoſophia etiam dictum cenſeri debet, quæ nihil aliud profectò eſt, quàm Ratio ipſa arte quadam exculta, & doctrina, atque exercitatione perfecta, quæque proindè tantùm abeſt, ut à Theologicis ſtudiis ableganda ſit, ac penitùs rejicienda, ut mirabiles etiam ex ea utilitates, & commoda percipiantur. Quamobrem & Moſen ipſum omni Ægyptiorum Sapientia imbutum, & in Divinis, quæ conſcripſit, Voluminibus ſæpe fuiſſe philoſophatum accepimus, & ſapientiſſimum Salomonem multa de arborum natura, multa de herbarum viribus diſputaſſe, & eam fuiſſe, Euſebio teſte, priorum Eccleſiæ temporum conſuetudinem, ut non alii fermè Sacras Diſciplinas profiterentur, quàm homines in Philoſophia diù, multùmque verſati. Quis autem eam Diſciplinam contemnat, quam Apoſtolum apud Areopagitas loquentem utiliter, ac prudenter adhibuiſſe cognovimus, (141) ut inde ad veram Dei Religionem inſinuandam ſibi aditum patefaceret, cujus preceptis, atque inſtitutis veteres Eccleſiæ Patres adversùs Chriſtianæ Religionis hoſtes fortiſsimè decertarunt, ut impium Deorum cultum, barbaraſque ſuperſtitiones ex animis hominum extirparent; quæ unius Dei *exiſtentiam* permultaſque ejus proprietates, atque Attributa, animique immortalem vitam, ejuſque à corpore diſtinctionem oſtendit; quæ mentem ad virtutis ſtudium inflammat, omniaque morum præcepta ità tradit, ut ea deinde Religio perficiat, & ad gradum ſublimiorem extollat; quæ ad plura Sacrorum Codicum loca intelligenda plurimùm adjuvat; (142) quæ vocabulorum, quibus Eccleſia utitur, ſignificationem, ut

Subſtan-

---

que ad Pyrrhoniſmum *quodammodò ſternere. Rationis enim pondere extenuato, & ipſas rationes extenuari neceſſè eſt, quibus demonſtrare conatur rationem, aut nullum, aut minimum pondus habere. Prǽtereà Rationis vi diminuta, Divina etiam Authoritatis pondus minuitur;* Nullus credit aliquid, *inquit Auguſt. de Prædeſtin. Sanctor. c. 2.* niſi priùs cogitaverit eſſe credendum. *Ideò autem Deo credendum eſſe putamus, propterea quòd nec falli eum poſſe, nec fallere exiſtimamus, ſummamque proindè Dei Veracitatem, qua Fides omnis innititur, nonniſi Rationis lumine præluceente cognoſcimus. Si igitur humana Ratio infirmatur, lababit & ratio, qua nos ad credendum impellit, ob eamque cauſam Divinæ etiam apud nos Authoritatis pondus nutabit. Maneat igitur permulta eſſe quidem cùm ad Divinas, tùm ad naturales etiam res pertinentia, quæ humanæ captum Rationis exſuperent, non pauca tamen exiſtere, velute prima quædam principia, undè cetera omnes veritates proficiſcuntur, quæ ut clarè, diſtinctèque à nobis percepta, certiſſimas veritatis notas habere, ab omnique falſitatis ſuſpicione longiſſimè abeſſe ſumma ratione cenſentur.*

(141) *Actor. XVII. 27. - 28.* Quamvis non longè ſit (*Deus*) ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus; ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.

(142) *Exemplo eſſe poteſt locus ille Geneſ. cap. 1. ubi Lux prima, Sol quarta die creatus dicitur, qui mirè omnium Interpretum torſit ingenia, eoſque coegit in varias, planèque contrarias ſententias diſcedere. Alii ſiquidem opinati ſunt, quod verſ. 7. de Solis creatione legitur, nihil eſſe aliud, quàm ejus, quod verſ. 3. habetur, repetitionem; quidam exiſtimarunt, Deum prima die luminoſum quoddam corpus formaſſe ad inſtar igneæ Columnæ, quæ Judæis viam in ſolitudine nocturno tempore præmonſtrabat; non pauci affirmarunt, trium priorum dierum lucem debilem fuiſſe, atque infirmam, illique ſimilem, quæ vel primo mane, vel cum Solis radii nubibus intercipiuntur, Terrarum Orbem colluſtrat. Verùm quantò ſimpliciùs, ac rectiùs Sanioris Philoſophiæ auxilio locus ille explicatur? Nam ſi ab illis ſtemus, qui lumen in æthere, ſeu luminoſæ ſubſtantiæ preſſione, aut agitatione à lucidi corporis motu profecta, poſitum eſſe arbitrantur, dicere poſſumus Deum æthercam illam materiam principio creaſſe, eique per tres dies motum, qui à Sole poſtea proficiſci debebat, indidiſſe. Si verò eorum opinionem tueamur, qui lumen in profluvio quodam corpuſculorum, à lucido corpore jugiter emanantium conſtituunt, eadem facilitate dicemus, Deum, primò quidem materiam omnem Solis, ſed quadantenus tamen informem creaſſe, eique perfectam quarta die figuram dediſſe. Utra ex his opinionibus ſit probabilior in præſenti non vacat expendere. Hoc tamen certò affirmari poteſt alterutram neceſſariò veram eſſe debere, cum inter eas nullum omninò medium ſit interpoſitum; nam corporum lucidorum motus hac unicè cauſa ad oculum uſque tranſmittitur, vel quia materię, quæ inter nos, & luminoſa corpora interjacet, communicatur, ut corporis ſonori fremitus ad tympanum uſque non pervenit, niſi quia ſimilis in aere motus excitatur, vel quòd luminoſi corporis agitatio lucidorum corpuſculorum emiſſionem producit, velut inſenſiles, quæ à flore proficiſcuntur, particulæ, narium papillas exagitant.*

Subſtantiæ, ut *Perſonæ*, ut *Spiritus*, ut *Hypoſtaſis*, accurata diſquiſitione decernit; cujus denique auxilio, & qua via captioſa ſolvantur, ambigua diſtinguantur, & quod cuique conſequens ſit, quodque contrarium perſpicimus, & propriam cujuſque rei vim appoſita definitione explicare docemur, remque univerſam in partes tribuere, ſingulaque ejus capita aptis, & accomodatis locis componere. (143)

Itaque ex Philoſophiæ ignoratione per multos olim Viros in errores non damnandos duntaxat, ac pernicioſos, ſed ridiculos etiam, ac planè pueriles incidiſſe cognovimus. Quid enim tam furioſum, quid a ratione magis alienum, quid magis inſipienter excogitatum, quam ut duas longiſſimè diſsidentes Naturas, atque infinito intervallo ſejunctas, Divinam ſcilicet, & Humanam, ità inter ſe coaluiſse quidam contenderent, tantaque commixtione confuſas, atque implicatas, ut tertia ex iis quædam Natura conficeretur; alii Divinitatem in carnem fuiſſe converſam exiſtimarent, ac proinde fame, ſitique vexatam, clavis, ſpineaque corona confixam, & tormentis, ac verberibus excruciatam: (144) alii Solem, & Lunam quaſdam Naves eſſe ex pura Dei ſubſtantia fabricatas arbitrarentur; [145] alii Deum ſingulorum hominum effectorem à ſummo vertice ad medium, Dæmonem contra, quaſi operis partitione facta, infimarum partium opificem eſſe decernerent; (146) alii denique funeſtam illam aquarum inundationem, quæ univerſum

---

(143). Ipſa quoque (*Philoſophia*) Græcos pædagogi more ducebat, ſicut Lex Hebræos ad Chriſtum. Præparat ergo Philoſophia ei viam muniens, qui à Chriſto perficitur *Clem. Alex. l. 1 Strom. & infra*: Eſt quidem per ſe perfecta, & nullius indiga Servatoris doctrina, cum ſit Dei Virtus, & Sapientia. Accedens autem Græca Philoſophia, non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adversùs eam efficit ſophiſticam argumentationem, & propulſans doloſas adversùs veritatem inſidias, dicta eſt vineæ apta ſepes, & vallus. *Auguſtinus verò l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 40.* Philoſophi autem qui vocantur, inquit, ſiquæ forte vera, & Fidei noſtræ accomodata dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam, tanquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda; ſicut enim Ægyptii, non ſolùm Idola habebant, & onera gravia, quæ Populus Iſrael deteſtaretur, & fugeret, ſed etiam vaſa, atque ornamenta de auro, & argento, & veſtem, quæ ille Populus exiens de Ægypto ſibi potiùs tanquam ad uſum meliorem clanculò vindicavit, non authoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non benè utebantur; ſic doctrinæ omnes Gentilium, non ſolùm ſimulata, & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſupervacanei laboris habent, quæ unuſquiſque noſtrum Duce Chriſto de Societate Gentilium exiens debet abhominari, atque devitare, ſed etiam liberales Diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent, deque ipſo uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum, & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis Divinæ Providentiæ, quæ ubique infuſa eſt, eruerunt, & quo perversè, atque injurioſè ad obſequia Dæmonum abutuntur: cum ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad uſum juſtum prædicandi Evangelii..... Nam quid aliud fecerunt multi boni Fideles noſtri? Nonne aſpicimus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor ſuaviſſimus, & Martyr Beatiſſimus? Quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei Famulus Moſen fecerat, de quo ſcriptum eſt, quòd eruditus fuerit omni Sapientia Ægyptiorum? *Et c. 41.* ſed hoc modo inſtructus Divinarum Scripturarum ſtudioſus, cum ad eas perſcrutandas accedere cœperit, illud Apoſtolicum cogitare non ceſſet: Scientia inflat, Caritas ædificat. Ità enim ſentiet, quamvìs de Ægypto dives exeat; tamen, niſi Paſcha egerit, ſalvum ſe eſſe non poſſe. Paſcha autem noſtrum immolatus eſt Chriſtus, nihilque magis immolatio Chriſti nos docet, quàm illud, quod ipſe clamat tanquam ad eos, quos in Ægypto ſub Pharaone videt laborare: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde...... Quibus, niſi mitibus, & humilibus corde, quos non inflat ſcientia, ſed Caritas ædificat?

[144] *Hujuſmodi erant Apollinariſtarum, & Eutychianorum delirationes*. Vid. Petav. de Incarnat. lib. 1 c. 14. & ſeqq. & lib. 3. c. 6.

[145] *Hoc Manichæi affirmabant teſte Aug. hæreſ. 46. & lib. 20. contra Fauſtum c. 6.*

[146 [*Hoc Paterniani ſentiebant apud Aug. hæreſ. 85.*

Digitized by Google

verſum terrarum Orbem communi naufragio ſubmerſit, contra Sacrarum Literarum apertiſsima teſtimonia, haudquaquam Aſiæ fines exceſſiſſe affirmarent; (147) quæ ſanè opinio nunquam eorum mentibus inſedisſet, ſi attento animo excogitaſsent, nullo pacto fieri potuiſse, ut liquidarum immenſa propemodùm aquarum moles ad maximam ſuſpenſa altitudinem ſuis finibus compreſsa maneret, (148) quin omni ex parte dilapſa quoquoverſùs diffunderetur.

Verùm, ut ii vehementer hallucinantur, qui Philoſophiam à rerum Divinarum contemplationibus omnino explodendam eſſe conſtituunt, ita eos ſummo in errore verſari dicendum eſt, qui intemperantiùs Diſciplinæ hujus amori indulgentes, nullo delectu, nulla ratione adhibita, nihil, niſi Phyſicam, vel Dialecticam redolens, in ſtudiis Theologicis adhibent, eaque ex ingenti quodam, immenſoque campo in ſubtilium diſputationum anguſtias, Arabumque Philoſophorum dumeta compellunt, [149] quique planiorem, ac ſimpliciorem philoſophandi viam

---

(147) *Hanc ſententiam inter alios tuetur Iſaac Voſſius in ſua reſponſ. ad Andream Colvium, & alibi. Cùm eo ſentit Peirerius in Præadamit. ubi ait univerſale* Diluvium *ſolùm Adamè genus extinxiſſe, non alios homines ante Adamum creatos, qui in aliis Mundi partibus erant. Hanc opinionem exquiſitis rationibus refellit Calmetus Commentar. in Geneſ. cap. 7. Præluxit etiam multa in hoc argumentum excogitat ſagaciſſimus, ac ſolertiſſimus Naturæ inveſtigator Antonius Vallisnerius in reſponſ. ad Sebaſtianum Rotarium, & Epiſt. 2. ad Hieronymum Leoni,* de Marinis productionibus, quæ in montibus reperiuntur &c. *Cum Varior. adnotat.*

(148) *Hoc ſanè propter æquilibrii leges nullo modo ſine miraculo potuit accidere, cujus rei nullum in Sacris Literis verbum exiſtit, quod tamen certè non omiſiſſent, nam & de Maris Rubri tranſitu aiunt*, fuiſſe aquam quaſi murum à dextra, & lœva Filiorum Iſrael. *Exod. XIV. 22. & de Jordanis trajectione teſtantur*, ſtetiſſe aquas deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes. Joſ. III. 16.

(149) *In hoc illi maximè peccant, qui inutiles concertationumque plenas quæſtiones inſtituunt, quæ nonniſi ad unius, vel alterius vocis uſum plerùmque cedunt, deque iis rebus, quæ de* poſſibili *in Scholis dicuntur, quaſque noluit Deus Hominibus* revelare, *veluti de modo, quo Divinum aliquod Myſterium ſe habet; undè Auguſt. de Geneſ. ad Liter. lib. 2. cap. 20.* Multi, *inquit* multùm diſputant de iis rebus, quas majori prudentia noſtri Authores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes, quod pejus eſt, multùm pretioſa, & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia. *Damaſcenus verò, ſummus ipſe Theologus, ac Theologiæ* Scholaſticæ *parens*: Quocirca, *inquit, lib. 2. de Orthod. Fid. cap. 1.* omnia nobis tàm per Leges, & Prophetas, quàm per Apoſtolos, & Evangeliſtas tradita amplectimur, agnoſcimus, ac veneramur, nec ultrà ea quidquam requirimus ...... Deus, quod noſtra ſcire intererat, aperuit, quod autem ejuſmodi erat, ut vires noſtras, & captum excederet reticuit. His itaque contenti ſimus, in his hæreamus, nec committamus, ut æternas metas dimoveamus, Traditionemque Divinam tranſgrediamur. *Et ibid. cap. 2.* Quid Dei eſſentia ſit, aut quo pacto in omnibus rebus exiſtat, aut quomodò Deus ex Deo genitus ſit, vel proceſſerit, aut quomodò Unigenitus Filius, ac Deus ſeſe exinaniens ex Virginis Sanguinibus ortus ſit ...... aut quomodò ſiccis pedibus ſuper aquas inceſſerit, hæc ſanè, nec ſcimus, nec dicere poſſumus. Quocirca fieri nequit, ut præter ea, quæ divinitùs nobis à Sacroſanctis Veteris, & Novi Teſtamenti Oraculis patefacta, & explanata ſunt, quidquam de Deo loquamur, aut etiam omninò cogitemus. *Hanc regulam non Sanctorum tantùm Authoritas, ſed magnum etiam Rationis momentum confirmat; Cùm enim ſcientia omnis humana, vel Ratione, vel Authoritate nitatur, ut omnes agnoſcunt, atque ex Auguſtino, ſub Orationis initium, & annotatione ſecunda affirmavimus; Ratio autem, paucis exceptis, in rerum Theologicarum expoſitione locum non habeat, ut pag. 28. explicavimus, jam cuique manifeſtum eſt, ac perſpicuum, quæ Divinæ Authoritatis, hoc eſt Scripturæ, ac Traditionis fundamentum non habent, nullo pacto à nobis valere ſine ſummæ temeritatis nota affirmari; Quapropter Sacroſancta Concilia religioſiſſimè hanc regulam obſervaſſe, nulloque tempore, cum de Fidei articulis ageretur, à Sacris Literis, ac Traditionibus vel tantillùm receſſiſſe leguntur. Pronunciavit quidem Tridentinum Concilium Seſſ. 25. exiſtere* Purgatorium, Animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari, *atque ante ipſum Synodus Florentina apud Labb. Collect. tom. 13. edit. Pariſien. Ann. 1672. pag. 1132.* Animas in Caritate Dei decedentes antequam dignis pœnitentiæ fructibus ſatisfecerint pœnis Purgatorii, poſt mortem purgari, & ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis Fidelium Virorum. Suffragia; *verùm de loco, ubi* Purgatorium *ſit poſitum, deque pœnarum, quæ ibi perferuntur, genere, altum eſt utrobique ſilentium. Deerat nempe, & Sacræ Scripturæ, & Divinarum, atque univerſalium Traditio-*

viam ſe profiteri jactantes, rerum naturalium proprietates ad Divina transferre, altiſsimaque Religionis noſtræ Myſteria, craſsis undique occultata, & circumfuſa tenebris, philoſophicis rationibus explicare contendunt.

Quamobrem præclatiſsimos veterum, noſtrorumque temporum Viros, ex nimia philoſophandi libidine à vera, puraque Fidei doctrina longè receſsiſse intelleximus, magnaſque in Eccleſia tragœdias excitaſse; (150) quoſdam in Rebus Divinis explicandis abſurdiſsima opinionum monſtra ſequutos; (151) non paucos etiam antiqua illa miracula totius Populi Iſraelitici, Sacrorumque Oraculorum teſtimonio, conſtantique omnium temporum fama, & celebritate firmata, ad natura-

---

num Authoritas, qua Purgatorii *circumſtantię definiri valerent, eam Eccleſia Latina perſuaſam ſemper habuerit, Animas ibi verò igne torqueri, at Græca è contrariò* Purgatorium *eſſe locum caliginoſam crediderit, in quo Animę triſtitia quidem, ac mœrore afficiantur, minimè tamen ignis ardoribus excrucientur.* Græci in futuro tantùm opinantur ignem, *inquit Beſſario Metropolita Nicænus apud Florentinæ Synodi Patres in Quæſtione de igne Purgatorio apud Labb. ibid. pag. 27.*, pœnamque Animarum temporaneam, quòd ſcilicet peccatis obnoxiorum Animæ in locum abeant tenebricoſum, in locum mœroris, in quo ad tempus verſentur in mœrore, & pœnis Divino Lumine privatę, purgentur verò, hoc eſt à loco illo obſcuro, & afflictione liberentur, & abſolvantur precibus, & Sacrificiis Sacerdotum, ac eleemoſynis, non autem igne. Neque enim Græci fatentur actionem ignis. *Pronunciavit iterum Synodus Tridentina Seſſ. 13. cap. 4.* per Conſecrationem Panis, & Vini converſionem fieri totius ſubſtantię Panis in Subſtantiam Corporis Chriſti Domini Noſtri, & totius ſubſtantiæ Vini, in ſubſtantiam Sanguinis Ejus, quæ converſio convenienter .... Tranſubſtantiatio eſt appellata; *ſed nullam habuit verbum de modo, quo in* Euchariſtia *Chriſti Corpus exiſtit, imò è contrariò apertiſſimè declarante Seſſ. 13. cap. 1.* Salvatorem noſtrum Sacramentaliter præſentem ſua ſubſtantia nobis adeſse, ea exiſtendi ratione, quam verbis exprimere vix poſſumus: *quamobrem, & pœnę genus, quo Animę in* Purgatorio *torquentur, animiae quadam triſtitia duntaxat, an etiam ignis ardoribus; & quomodò integrum Chriſti Corpus in exigua Hoſtia articula contineatur*, totumne in toto, an totum in qualibet parte ejus; utrum tota quantitas dimenſiva Corporis Chriſti ſit in hoc Sacramento; utrum Corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento, ſicut in loco; utrum Corpus Chriſti ſit mobiliter in hoc Sacramento, *ad Fidem profectò minimè pertinet. Fateor equidem aliquandò accidiſſe, ut & de modo quadantenùs Sacrę Synodi pronunciarent, veluti Tridentina de Panis, ac Vini* tranſubſtantiatione, *& Chalcedonenſis, atque Epheſina, quòd* Unio Verbi cum humana Natura non confuſione ſubſtantiæ, ſed in Unitate Perſonæ ſit facta. *Verùm Concilii Tridentini definitio Sacris Traditionibus innitebatur, & Chalcedonenſis, atque Epheſinę Synodi pronunciatio non ad modum, ſed ad Myſterii ſubſtantiam pertinebat, nihilque aliud re ipſa fuit, quàm Evangelica Sententia*, Verbum Caro factum eſt, *explicatio, ac proindè liquidò patet, hujuſmodi pronunciationes, cùm Scriptura, tùm Traditionis Authoritate fuiſſe munitas. Denique præter cæteros, qui Theologicis Studiis turpiter abutuntur, illi potiſſimùm vituperandi videntur, qui, non ad Veritatem inveniendam, ſed ad Adverſarios captioſis argumentis fallendos vanas de Rebus Divinis diſputationes inſtituunt:* Diſputationis diſciplina, *inquit Auguſtinus de Doctrina Chriſt. cap. 31.* ad omnia genera quæſtionum, quæ in Literis Sanctis ſunt, penetranda, & diſſolvenda plurimùm valet; tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi Adverſarium .... Quod genus captioſarum concluſionum Scriptura, quantùm exiſtimo, deteſtatur illo loco, ubi dictum eſt: Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt. *Id unum igitur, nobis in Theologicis inveſtigationibus proponamus, ut res diviniùs* revelatas *aſſequamur, atque æquum ſervare animum meminerimus, ſive Adverſarium vincere, ſive ab ipſo nos vinci contingat; in utroque enim magnum ad nos compendium redibit. Nam, ſi vincamus, victoria gloriam adipiſcemur, ſi verò vincamur, doctiores domum redibimus.*

(150) *Sic Origenes, quas ex Schola Platonica, Stoica, & Pythagorica hauſerat opiniones ad Divinarum Rerum explicationem accomodans permulta falsa, & inepta profudit, unde maximi, ac diuturni in Eccleſia tumultus exarſerant.*

[151] *Qua in re videtur erraſſe Carteſius apud Purchotium part. pr. Phyſicæ Sect. 1. cap. 1. in Epiſt. ad Patrem Meſſandum Jeſuitam, nondum typis impreſſa; non enim eam mihi invenire contigit, neque in editione Francofurti ad Mœnum anni 1602. neque in noviſſima* Operum Carteſii *editione Pariſiis facta anno 1724. ni fallor, in qua Epiſtola Phyſicis rationibus aggreſſus eſt explicare mirabilem illam* Tranſubſtantiationem, *qua, ſi ſimpliciter loqui velimus, nihil aliud profectò eſt, quàm panis, vinique deſtructio, remanentibus duntaxat eorum ſpeciebus, in ejuſque locum Corporis, ac Sanguinis Chriſti ſubſtitutio. Ait enim, quemadmodùm Panis, & Vinum in corpus, & ſanguinem noſtrum, poſt varias mutationes, naturaliter convertuntur, ita Panis, & Vini particulas, quæ juxtà conſuetum naturæ ordinem, poſt longam alteratio-*

naturalium cauſarum vim revocantes, aut omninò, quantùm in ipſis erat, ſubſtuliſse, aut vehementer ſaltem extenuaſſe, (152)

Expoſui ferè, ut potui, Auditores optimi, utque temporis anguſtiæ patiebantur, quomodò humana Ratio omnes Theologiæ partes vi ſua undecumque pervadat, omneſque Theologi greſsus, veluti Dux fideliſsimus regat, ac moderetur; nam & Deum eſſe, eumque utpote Optimum, ac Sapientiſſimum, nec falli poſse, nec fallere, & humanum captum Rebus Divinis intelligendis longè imparem eſse, & Sacras Literas, ac Traditiones æternæ, atque immutabilis Veritatis verbum continere Ratio ipſa demonſtrat, & quæcumque ad Sacras Literas intelligendas, Sacraſque Traditiones aſſequendas præſidia adhibemus ejuſdem Rationis lumine adjuti, adhibenda eſse cognoſcimus, & ſingula, quæ in ipſis Scripturis, ac Traditionibus invenimus, etſi Rationi adverſari videantur, tamen ut à ſumma Veritate profecta, conſtanter, ac firmiter eſſe credenda Ratio ipſa ſuadet. [153]

Sed interim ego, ut ingenuè fatear, cum rei magnitudinem, mearumque virium imbecillitatem cogitatione complector, vehementiſsimè commoveri me ſentio, & maximoperè perturbari. Quomodò enim, neque uſu, neque ingenio ſatis inſtructus, REGIÆ, CLEMENTISSIMI PRINCIPIS, Munificentiæ, quomodò dulciſsimæ Patriæ ſatisfacere potero, cui me totum dedere, cui mea omnia dicare, & quaſi conſecrare debeo, ubi nemo non videt quàm elegantes ingeniorum ſpectatores, quàm juſti alienæ doctrinæ æſtimatores floreſcant, præſertim in re tàm difficili, tàmque excellenti, quæque tàm multis, tantis, tàm variis rerum cognitionibus continetur, & in qua ſumma, & clariſsima ſæpenumerò ingenia, tanquam in ſcopulos offendiſse vidimus, & maxima, ac miſerrima naufragia feciſse?

Quid igitur ſupereſt, niſi ut ad Te ſupplex confugiam animorum, atque humana-

---

nem miſcenda eſſent in Viſceribus Chriſti, & peculiari ratione diſponenda, ut ipſius Corpus efficerentur, ſtatim per miraculum, ac præter Naturæ ordinem in Chriſti Corpus converti, unde maximum, ni fallor, abſurdum conſequitur. Cum enim non alia ratione cibus, & potus in adulti hominis ſubſtantiam vertantur, niſi ut continuò effluentium particularum diſpendia reparentur, itaut ſubtiliores cibi, potuſque particulæ, in earum locum ſuccedant & ſpatiolis ab iis relictis applicentur: Corpus autem Chriſti, utpotè glorificatum, *noſtrorum corporum mutationibus minimè ſit obnoxium, nullamque propterea partium faciat jacturam, in immenſam planè molem deberet excreſcere, ſi panis, ac vinum, quod quotidiè per univerſum terrarum Orbem conſecratur, ea, qua Carteſius docet, ratione in Chriſti Corpus, & Sanguinem verterentur. Præterea aliud abſurdum, quod propter ejus turpitudinem commemorare, animus refugit, ac reformidat. Excuſandus tamen ſummus iſte Philoſophus, optimaque philoſophandi methodi præmonſtrator, ſi, rerum Theologicarum ignarus, in rebus Theologicis claudicat. Conſtituerat enim perpetuò ſilere de modo, quo in Euchariſtia Chriſti Corpus exiſtit, perſuaſum habens multa Deum facere poſſe, quæ humana ratio nequit attingere. Verùm diù multùmque à plurimis laceſſitus, eam, repugnante animo, reſponſionem adhibuit, quæ minùs fortaſſe ſibi, quàm Adverſariis placeret.*

[152] *Sic Spinoſa Tractat. Theologico-Politic. c. 2. Peirerius l. 4. c. 6. Cleric. Commentar. in Joſ. Solem ad Joſue Imperium minimè immotum conſtitiſſe ajunt, ſed ejus radios, poſtquam occidiſſet, per refractionum leges Solis imaginem referentes, longiorem diem effeciſſe. Idem Cleric. in diſſert. de traject. Maris Idumæi aſſerit Moſen longo tempore in Ægypto verſatum, ideoque æſtus Maris Idumæi peritiſſimum, aquis juxtà loci conſuetudinem recedentibus, magniſque à Septentrione ventorum flatibus divinitùs excitatis receſſum augentibus, ac reditum retardantibus Mare Rubrum tranſiſſe, unde mirabile illud portentum ſummoperè attenuatur. Vid. Calmet. Diſſert. de utroq. argum. ubi ſolidis has opiniones argumentis refellit.*

[153] *Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt colligere licet, Fidelem Chriſtianum ita in credendo procedere. Ideo rebus ad Fidem pertinentibus aſſentitur, quòd ſint à Deo* revelatæ. *Ideò primò* revelatas *agnoſcit, quòd in iis Divinæ* Revelationis *characteres inveniat; cumque inter res* revelatas *Eccleſiæ quoque* infallibilitatem *reperiat, ideò rursùs firmiſſimum rebus* revelatis *præbet aſſenſum, quòd Divinæ* Revelationis *characteribus novum Eccleſiæ res* revelatas *proponentis momentum accedat. Itaque Sacrorum Scriptorum, & Eccleſiæ authoritas, quæ initio tanquam humana conſideratur, Divinam quoque poſtea authoritatem habere deprehenditur.*

Digitized by Google

manarum cogitationum Summe, ac Sapientiſsime Rector, *qui doces hominem ſcientiam, & intellectum das Parvulis*, Tuamque opem ad ſplendidiſsimum Majeſtatis Tuæ ſolium provolutus implorem? Patere, obſecro, ut iiſdem Auguſtini Tui verbis non diſpari eventu in præſentia Te rogem, qui tàm benè de Te, Tuiſque Rebus ſentire meruit, tàm benè alios docere.

Aperi mihi ò Clavis David, qui aperis, & nemo claudit illi, cui Tu aperis, & nemo aperit illi, cui Tu claudis, aperi mihi oſtium Luminis Tui, ut ingrediar, & videam, & cognoſcam: Lux antiquiſsima, quæ lucebas ante omnem lucem in Montibus Sanctis Æternitatis antiquæ: Lux, quam videbat Tobias, quando oculis clauſis docebat Filium ſuum viam vitæ; Da mihi lumen verum, lumen delectabile, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, & etiam oculos Angelorum: expelle tenebras deſuper faciem abyſſi mentis meæ, ut videat Te intelligendo, ut cognoſcat Te comprehendendo, ut diligat Te cognoſcendo (154).

---

(154) *Excerpta ex variis D. Auguſtini Confeſſionum, & Soliloquiorum Animæ ad Deum capitibus; quæ, ſi Auguſtini non ſunt, magna ſaltem ex parte ex ejus Libris collecta eſſe Viri omnes eruditi fatentur. Vid. Patres Benedictin. tom. 6. Operum Sancti Auguſt. Admonit. in Librum Soliloq. Animæ ad Deum.*

93858022

1059.5
2

Digitized by Google

Digitized by Google